

Quaestiones super modos significandi et super gramaticam

[Page 115a]

QUAESTIONES MAGISTRI MATHEI BONONIENSIS

QUAESTIONES MAGISTRI MATHEI BONONIENSIS
SUPER MODOS SIGNIFICANDI ET SUPER GRAMATICAM

INCIPIUNT <QUESTIONES SUPER> MODOS SIGNIFICANDI PER PARTES. PRINCIPIA

<CAP. 1: DE SIGNIFICATO ET MODIS SIGNIFICANDI>

Quoniam de principiis <***> cum in qualibet dictione que est pars orationis sint quinque per ordinem, primum est vox que imponitur ad significandum, secundum est significatum speciale, ad quod imposita est vox ad significandum principaliter, tertium est modus significandi essentialis generalis que reponit dictionem in partem, quartum est modus significandi essentialis specialis et iste reponit dictionem in speciem partis, quintum est modus significandi accidentalis vel consignificata vel accidentia quod idem sunt.
Cum ergo non sit dubium de ipsa voce quin ipsa vox ad constructionem faciat, quaestio est de aliis quattuor, quod istorum sit causa constructionis.

Et prima questio <est> utrum significatum [Page 115b]

speciale sit causa constructionis.
Secunda questio est utrum modus significandi essentialis generalis, tertia questio utrum modus significandi essentialis specialis, quarta utrum accidentia vel consignificata sit causa constructionis.

< 1-UTRUM SIGNIFICATUM SPECIALE SIT CAUSA CONSTRUCTIONIS >

< 1-1-Quod sic>
Ad primum arguitur sic, scilicet quod significatum speciale sit causa constructionis.
< 1-1-1 > Omnis causa primaria plus influit super causatum quam causa secundaria, ut habetur in primo *De Causis* . [Page 116a]

Sed significatum speciale dictionis est [causa] primaria causa constructionis.
Modi significandi sunt causa secundaria, et tamen modi significandi causant constructionem.
Ergo significatum speciale magis et fortius erit causa constructionis.
<1-1-2> Item *penitet* et *penitentia* *habet* habent eandem constructionem. Sed non habent eosdem modos significandi. Tamen habent idem significatum speciale.
Ergo videtur quod significatum speciale sit causa constructionis.
<1-1-3> Item dicit P.H. super secundum Minoris, quod hec est incongrua *asinus rationalis* et *homo irrationalis*, et tamen

est ibi bona convenientia accidentium et modorum significandi, sed tantummodo est diversitas in significato speciali. Ergo videtur quod diversificatio in significato speciali diversificet constructionem et ita causatur a significato speciali.

<1-1-4> Item, sicut se habent significata specialia ad veritatem et falsitatem, ita se habent modi significandi ad congruitatem et ad incongruitatem. Ergo permutata proportione, sicut se habent modi significandi ad veritatem et falsitatem, ita se habent significata ad congruitatem et ad incongruitatem. Sed modi significandi bene sunt causa veritatis et falsitatis.[Page 116b]

Unde hec est vera *homo est albus*, hec autem est falsa *homo est albedo*. Sed *albus* et *albedo* non diversificantur nisi in modis significandi[s]. Ergo videtur, cum modi significandi possint esse causa veritatis et falsitatis, quod etiam significata specialia possunt esse causa constructionis sive congruitatis et incongruitatis.

< 1-2 - Quod non >

< 1-2-1 > In oppositum arguitur. Variata causa varia[t]ur effectus. Sed variato significato non variatur constructio. Eadem est constructio hic, *equus Sortis* et hic, *cappa Sortis*. Ergo significatum speciale non est causa constructionis, cum eadem constructio maneat, variato significato.

<1-2-2 > Item. [[variatio]] Posita eadem causa, ponitur effectus idem. Ergo si significatum speciale esset causa constructionis, quecumque significarent eandem rem, eandem constructionem haberent. Quare, cum *lego* et *lectio* habeant idem significatum speciale, construent eodem modo, quod falsum est. Ergo significatum speciale non est causa constructionis.

< Solutio ad 1 >

Solutio. Dicendum ad hoc primo quod < significatum speciale > est principium[Page 117a]

materiale constructionis quodammodo, secundum quod dicit Priscianus in principio *Minoris*. In illa parte dicit enim quod intelligibile cuiuslibet dictionis, idest significatum, quod in intellectu apprehenditur, est quodammodo elementum id est materiale principium orationis. Et non est penitus principium materiale et completivum orationis, sed vox cum suo significato. Sed notandum quod significatum speciale aliquando potest esse principium efficiens occasionale constructionis, sed nunquam est principium efficiens formalei et completivum. Unde ad hoc intelligendum, sciendum est quod modi significandi, qui sunt in dictione, eque fundantur supra modos intelligendi, qui sunt in anima, et eis correspondent. Iste autem modi intelligendi, aliquando accipiuntur penes aliquam proprietatem[Page 117b]

rei et aliquando non. Verbi gratia. In hoc quod est vir modi intelligendi et modi significandi accipiuntur penes proprietatem rei, et tales modi significandi et modi intelligendi cum hoc dicuntur dispositiones rei accepte. Sed in hoc nomine quod

est *motus*, modi significandi qui sunt in dictione < et > modi intelligendi qui sunt in anima non correspondent alicui proprietati rei, que significatur per hoc quod dico *motus*. Et tales modi significandi et modi intelligendi non sunt dispositiones rei accepte solum in talibus dictionibus. Ergo ubi modi significandi fundantur supra modos intelligendi, qui modi intelligendi respondent proprietatibus rei, in talibus dico quod significatum speciale illius dictionis est principium efficiens occasionale constructionis et materiale. In illis autem, in quibus modi significandi et [Page 118a]

modi intelligendi non correspondent alicui proprietati rei revera, tunc significatum speciale est altera pars principii et materialis solum, et nichil operatur ad constructionem quantum est de se, ita quod sit aliquo modo causa efficiens. Est ergo determinatio questionis In hoc, quod significatum speciale dictionis est principium materiale orationis. Sed adhuc hoc in parte, quia significatum cum voce totum est principium materiale constructionis. Sed numquam est eius principium efficiens et formale nisi occasionaliter, ut dictum est et visum est.

<RESPONSIO AD ARGUMENTA>

Argumenta pro parte ista concedenda <non> sunt, quoniam male concludunt. <Ad 1-2-1> Primum enim concludit quod si significatum speciale esset [esset] causa efficiens completa ipsius constructionis, tunc contingeret variare effectum, causa variata. Sed hoc non convenit, quia eadem constructio est hic *equus Sortis* et hic *asinus Sortis*. Et hoc conceditur, quod significatum speciale dictionis non sit efficiens causa constructionis, tamen non impedit quin possit esse occasionaliter.

<Ad 1-2-2> Secundum autem argumentum concludit quod si significatum speciale esset causa constructionis efficiens, quecumque idem significant, eodem modo construerentur. Et hoc est inconveniens. Sed adhuc tenet quod possit esse causa occasionalis et remota, et revera talis causa non est proprie causa quia de se et immediate non relinquit effectum. [Page 118b]

<Ad 1-1-1> Ad argumentum in oppositum, dicendum ad primum, quod omnis causa primaria plus influit supra causatum quam causa secundaria. Hec propositio scribitur primo *De Causis* < in > agentibus univoce et non equivoce. Unde cum sol et homo generant hominem, et sol sit causa primaria, et homo causa secundaria, non potest concludere per illam propositionem, quod sol plus agat in generatum quam homo, quia sol generat[ur] equivoce, homo autem univoce. Et ideo ibi sunt diversa genera generationum et causarum. Similiter in proposito, quando dicitur quod significatum speciale est causa primaria, hoc est verum et materialis. Et quando dicitur quod modi significandi sunt secundaria causa constructionis, hoc est verum <et> efficiens, et ita in diversis generibus cause. Quare non potest concludere, quod significatum speciale sit magis causa quam modis significandi.

<Ad 1-1-2> Ad secundum dicendum, quod *penitet* et *penitentia* habet eodem modo construantur. Sed hoc non est gratia significati specialis, sed est gratia quorundam modorum significandi, qui utrobique similes inveniuntur. Verbi gratia, quia *penitet* significat per modum ut est alicuius et per modum transeuntis, eo construitur cum accusativo. Et quia iste dictiones *penitentia* *habet* istos habent eosdem modos significandi, quia *penitentia* significat per modum entis alicuius, et *habet* significat per modum transeuntis in aliud, unde non est mirum, si[Page 119a]

habeant eandem constructionem cum hoc quod dico *penitet*. Non tamen hoc facit significatum speciale, sed modi significandi, ut dictum est. Unde notandum, quod diverse partes orationis possunt habere eadem accidentia vel eosdem modos significandi accidentales, dummodo illi modi significandi accidentales non repugnant modis significandi essentialibus generalibus illarum partium orationis. Ideo hoc verbum *penitet* potest habere istos duos modos significandi, quia significat per modum illius quod est alicuius, et per modum illius quod transit in aliud, cum isti duo modi significandi non repugnant modo significandi essentiali generali ipsius verbi, quod est significare per modum fluentis ad aliud cum distantia. Sic simpliciter hoc nomen *penitentia* potest habere modum significandi quod est significare per modum ut ens alicuius, cum iste modus non repugnat modo significandi essentiali generali nominis. Et ita *penitet* et *penitentia* *habet* eodem modo construuntur, non propter idem significatum, sed propter eosdem modos significandi.[Page 119b]

<Ad 1-1-3 > Ad aliud dicendum, quod hec constructio *asinus rationalis*, et *homo irrationalis*, incongrua est, idest impropria. Quantum tamen est de modis significandi congrua est simpliciter, sed tamen impropria est propter modorum discrepantiam intelligendi, et est ibi acirologia, sermo inconsuetus et improprius. Et nota quod hec est impropria *asinus rationalis*, hec autem est propria *asinus est rationalis*, sed tamen falsa, quia oppositi modi intelligendi magis repugnant in uno extremitate quam in diversis extremis. Glosetur ergo auctoritas P.H., hec est incongrua *asinus rationalis* idest impropria.

<Ad 1-1-4> Ad ultimum dicendum, quod verum est, quod si modi significandi sint causa veritatis et falsitatis, significata erunt causa congruitatis et incongruitatis. Et eodem modo, si ita est quod modi significandi non sunt causa veritatis et falsitatis nisi occasionaliter (unde falsitas istius constructionis *homo est albedo* causatur a *disconvenientia* *predicati* cum *subiecto*, et illa *disconvenientia* causatur ex eo quod res que significatur sub *abstractione* ponitur pro eadem re[Page 120a]

significata sub *concretione*; et ita iste modus significandi essentialis specialis est causa occasionalis et remota veritatis et falsitatis et bene concedebatur, quod significatum poterat esse occasio congruitatis

et incongruitatis aliquando, sicut dictum est in corpore questionis.

< Glose. >

(?) <Close marge inférieure, f. 95r, S2>
Notandum quod duplex est grammaticus,
grammaticus purus et non purus. Purus
grammaticus est qui considerat consignificata[m]
tantummodo, et est etiam grammaticus
qui considerat ... et consignificata, et
ille est partim methaphisicus et partim
grammaticus. Dico sic quod hec constructio
asinus rationalis, illa congrua est quantum
ad purum grammaticum ..., hec est incongrua
idest impropria quantum ad secundum
grammaticum, quia est ad verum(?)
de vera re. Et nota quod dico opposita
in una? extrema? <magis> repugnant
quam in diversis, et illa magis est
propria *asinus est rationalis*, quam illa *asinus*
rationalis sine medio, (?) opposita ...
magis elucescent et ... magis ... sine medio
quam mediante termino, et sic est in arte[Page 120b]
quam <imitatur> naturam inquantum potest.

<2-UTRUM MODUS SIGNIFICANDI ESSENTIALIS GENERALIS SIT CAUSA CONSTRUCTIONIS >

Sequitur utrum modus significandi essentialis
generalis, qui reponit dictionem in
partem orationis, sit causa constructionis.

< 2-1 -Quod sic >
< 2-1-1 > Et videtur quod sic. Quicquid
est causa cause est causa causati, ut habetur
in commento super Librum *De causis*.
Sed modus significandi essentialis generalis
est causa omnium aliorum modorum
sequentium, cuius signum est quod
nullus modus sibi repugnans potest post
ipsum poni in dictione. Et illi modi subsequentes
sunt causa constructionis immediate.
Ergo modus significandi essentialis
generalis est causa constructionis.
<2-1-2> Item, omne quod est principium
inclinandi partem ad partem vel constructibilem
ad constructibilem, est
principium uniendi unum cum alio. Sed
modus significandi est principium inclinandi
constructibilem cum constructibili.
Ergo est principium construendi. Maior[Page 121a]

patet, quia ex inclinatione partis ad partem
causatur constructio unius cum altero.
Minor declaratur, quia modus significandi
essentialis generalis verbi est principium
inclinandi verbum ad nomen.
Verbum enim de modo significandi essentiali
generalii significat per modum
fluentis ad aliud cum distantia. Et ita patet
quod per istum modum inclinatur verbum
ad nomen.

<2-1-3> Item, quicquid consideratur in
gramatica, consideratur propter principale
intentum in gramatica. Sed modus
significandi essentialis generalis consideratur
in gramatica. Et principale intentum
in gramatica est oratio perfecta que
habetur mediante constructione. Ergo
modus significandi essentialis generalis
consideratur in gramatica propter constructionem.
Et ita est principium constructionis.

< 2-2-Quod non >

< 2-2-1 > Sed contra. Diversificata causa diversificatur effectus. Sed diversificato modo essentiali generali non diversificatur constructio, quia *simul* et *similiter* sunt diverse partes orationis, tamen eodem modo construuntur. Ergo modus significandi essentialis generalis non est causa constructionis.[Page 121b]

<2-2-2> Item, manente eodem modo significandi essentiali generali, non manet eadem constructio: quia *asinus* et *Brunellus* habent eundem modum essentiale generalem, non tamen eodem modo construuntur, quia bene dicitur *asinus Sortis*, non tamen bene dicitur *Brunellus Sortis*.

<3. UTRUM MODUS SIGNIFICANDI ESSENTIALIS SPECIALIS SIT CAUSA CONSTRUCTIONIS >

Tertio queritur, utrum modus significandi essentialis specialis sit causa constructionis sive congruitatis et incongruitatis.

< 3-1-Quod sic >

<3-1-1, Et videtur quod sic, quia prepositio construitur cum aliis partibus orationis. Sed hoc non est gratia modi significandi essentialis generalis nec accidentalis (gr-alfa). Ergo hoc est gratia modi essentialis specialis. Quod prepositio non construatur ratione modi significandi essentialis generalis, hoc patet, quia cum omnes prepositiones habent eundem modum significandi essentiale generale, ita omnes prepositiones haberent eandem constructionem, quod falsum est. Nec construuntur per accidentia, quia Priscianus dicit quod prepositioni nihil accidit. Relinquitur ergo, quod modus significandi essentialis[Page 122a]

specialis sit causa constructionis in prepositione.

< 3-1-2 > Item, verbum substantivum et vocativum construuntur cum nominativo a parte post, ut *sum Socrates, vocor Socrates*. Sed ista constructio non fit gratia significandi essentialis generalis, neque gratia accidentium. Ergo fit gratia modi significandi essentialis specialis. Quod non fiat gratia modi significandi essentialis generalis, hoc patet, quia iam omnia verba haberent eandem constructionem. Nec gratia accidentium, quia eadem accidentia sunt in hoc quod dico *vocor* et in hoc quod dico *legor*, non tamen eodem modo construuntur. Ergo constructio verbi substantivi et vocativi cum nominativo a parte post fit gratia modi significandi essentialis [[generalis]] specialis.

< 3-2-Quod non >

<3-2-1> Sed contra. Illud quod est principium distinguendi unum ab alio, non est principium uniendi illa que distinguit. Sed modus significandi specialis est principium distinguendi speciem unius partis ab aliis speciebus eiusdem partis (gr-beta). Ergo non est principium eis uniendi. Et ita modus significandi essentialis specialis

non est causa constructionis.[Page 122b]

<4-UTRUM ACCIDENTIA SINT CAUSA CONSTRUCTIONIS >

Ultimo queritur utrum accidentia sint causa constructionis.

< 4 -1 - Quod non >

<4-1-1> Et arguitur quod [[non]] accidens non est causa substantie. Sed constructio est substantia, quia est <causa> formalis substantie orationis. Ergo accidentia non sunt causa constructionis.

Maior patet quia dicit Aristoteles in VII *Metaphysice*, quod substantie non est causa aliena vel non est alia causa. Aliud autem a substantia idem est quod accidens.

<4-1-2> Item, posita causa ponitur effectus. Sed posita convenientia in accidentibus non ponitur constructio, quia hic est bona convenientia accidentium *albus currit* et tamen incongruitas est. Ergo modus significandi accidentalis non est causa constructionis.

< Solutio ad 2 >

Solutio. Ad secundum dicendum, quando queritur utrum modus significandi essentialis generalis sit causa constructionis, dicendum quod hec questio duabus modis potest queri. Uno modo[Page 123a]

questio potest queri: utrum modi significandi essentiales generales circumscriptis omnibus aliis modis significandi posse<n>t esse causa sufficiens constructionis, ita quod partes construentur ad invicem mediantibus suis modis significandi essentialibus generalibus et circumscripsit omnibus aliis. Alio modo potest queri questio: utrum scilicet rebus1 existentibus in numero, idest dictionibus existentibus sub suis modis significandi essentialibus generalibus sint causa constructionis.

Si primo modo queratur questio, dicendum quod sic, quia in aliquibus partibus orationis, modi significandi essentiales generales sunt causa construendi, sicut in verbo. Verbum enim suo modo essentiali generali inclinatur et mediante illo <modo> posset construi. Sed hoc esset nimis confuse et indeterminate. Et similiter adverbia cum verbo.

Si secundo modo querat questio, quod est magis ad propositum, dicendum quod modus significandi essentialis generalis est causa constructionis inchoans. Et duplice est principium inclinationis partis ad partem, quia pars inclinatur primo per suum modum significandi essentialem generalem; et est principium inchoans[Page 123b]

quia secundum limitationem et regulationem modi significandi essentialis imponuntur [imponuntur] alii modi, qui[a] sunt causa constructionis efficiens et continuans. Et ita duabus modis potest dici inchoans modus significandi essentialis generalis.

<Responsio ad argumenta>

<Ad 2-2-1 et 2-2-2> Argumenta duo que probant quod modus significandi essentialis generalis non est causa constructionis, bene procedunt de causa immediata

et perficiente, quia tali causa variata variatur effectus. Posita autem ponitur et effectus. Sed non procedunt de causa originali et inchoante, et de tali conclusum est, quia modus significandi essentialis generalis est causa constructionis. Et ita non concludunt contra propositum.

<Ad 2-1-2> Ad argumentum in oppositum, dicendum primo ad secundum, quod sicut modus significandi essentialis generalis est causa vel principium inclinandi partem ad partem, eodem modo est principium construendi partem unam cum alia. Non autem potest dici, quod modus significandi essentialis generalis sit principium inclinandi partem ad partem complete et determinate, sed solum incomplete [Page 124a]

et indeterminate. Et hoc modo concedo quod sit principium constructionis, scilicet incomplete et sub indeterminatione.

<Ad 2-1-1> Ad primum dicendum, quod eo modo quo modus significandi essentialis generalis est causa aliorum modorum, eodem modo revera est causa constructionis. Est autem causa aliorum modorum significandi non efficiens, quia non est impositor, sed regulans et limitans impositorem ad imponendum modos significandi subsequentes. Unde impositor necessarie imponit ad significandum rem secundum voluntatem suam, et etiam sub illo modo significandi essentiali generali, sub quo vult. Sed de aliis modis subsequentibus, scilicet de modis significandi essentialibus specialibus vel de accidentalibus, non omnino est in voluntate sua, sed oportet quod ipsos imponit secundum limitationem, et regulationem modi significandi essentialis generalis. Unde nihil potest imponere dictioni, quo sit repugnans modo significandi essentiali generali eius. Et ita iste modus essentialis generalis est causa aliorum consequentium, permissivus regulativus, et, nisi permittat, non possunt imponi. Et eodem modo etiam concedo quod sit causa constructionis et non alio modo.

<Ad 2-3> Ultimum argumentum non multum facit fidem ad constructionem. Non enim, si modus significandi essentialis generalis consideraretur in grammatica propter orationem perfectam, que habetur mediante constructione, propter hoc [Page 124b]

sequitur quod sit causa efficiens constructionis, sed sufficit quod sit causa remota et inchoativa.

< Solutio ad 3 >
Ad illud quod tertio queritur, utrum modus significandi essentialis specialis sit causa constructionis, dicendum quod a parte exigentis (?) iste modus essentialis specialis est causa aliquando tota et aliquando concausa, hoc est dimidia causa. Ex parte autem exacti (?) nunquam est tota causa, sed semper cum hoc exigitur convenientia in accidentibus. Dico autem quod a parte exigentis aliquando est tota causa, sicut in prepositione. Prepositio autem non construitur per modum significandi essentialis generalem, nec per accidentia, quia non habet, sed per suum modum significandi essentialis specialem,

ut dictum est. Similiter constructio
verbi substantivi et vocativi est cum nominativo
a parte post per modum significandi
essentialis specialem. In istis enim
constructionibus, modus significandi essentialis
specialis est tota causa constructionis.
Sed aliquando <est> concausa, sicut
hic *homo currit*, (?) quia sepius cum
hoc exigitur quod sit in debito casu, numero
et persona.

<Responsio ad argumenta>

<Ad 3-1-1 et 3-1-2> Et concedo primum
argumentum et secundum, quia, ut dictum
est, modus significandi essentialis
specialis in prepositione est causa constructionis,[Page 125a]

et in verbis vocativis et substantivis
similiter a parte post.

<Ad 3-2-1> Ad argumentum in oppositum,
dicendum quod modus significandi
essentialis specialis est principium
uniendi constructibilia in oratione. (?) Et
est distinguendi principium eadem, sed
hoc diversimode, quia unit ea convenientia
proportionis et distinguit disconvenientia
similitudinis.

< Solutio ad 4 >

Ad illud quod queritur de accidentibus
(?), iam dictum est, quoniam accidentia
cum modo significandi essentiali speciali
sunt causa constructionis, sed accidentia
nunquam per se.

<Ad 4-1-1> Ad primum argumentum in
oppositum, dicendum quod duplex est
causa, quia quedam est agens principalis (?)
et alia est disponens materiam ad hoc
quod introducatur forma. Quando ergo
dicitur, quod substantie non est causa
alia, verum est de causa que est agens
principalis et incitans materiam ad recipiendum
formam. Sed tamen substantie
bene potest esse alia causa, que est disponens
materiam, ut calidum et frigidum.
<Ad 4-1-2> Ad aliud dicendum, quod[Page 125b]

posita causa ponitur effectus. Sed accidentia
causa constructionis non sunt per
se, ut dictum est.

Et ita patet quod sint cause constructionis,
quoniam vox cum suo significato
est causa materialis orationis, et significatum
est causa aliquando orationis
occasionalis efficiens. < Causa efficiens >
autem extra est constructor efficiens, intra
est modus significandi essentialis
generalis, qui est causa inchoans, sicut
dictum est. Dictum est etiam, quod modus
significandi essentialis specialis aliquando
est tota causa, aliquando concausa
et similiter accidentia sunt dimidia
causa constructionis, ita quod modus
essentialis specialis cum accidentibus sit
causa immediata constructionis (?). Et
hec sufficient de principiis constructionis
vel congruitatis et incongruitatis.

< Gloses. >

(?) <marge gauche, f. 95v, S1> Modus significandi est ratio exprimens proprietatem rei.
(?) <marge gauche, f. 95v, S1> sicut substantivum et adiectivum.[Page 126a]

(?) <marge gauche, f. 96r, S1> scilicet prepositionis vel alicuius quod exigit.
(?) <marge gauche, f. 96r, S1> idest illud quod exigitur, ut appositorum vel casus vel aliud.
(?) <marge gauche, f. 96r, S1> modus specialis cum accidentalibus sunt tota causa.
(?) <marge gauche, f. 96r, S1> sicut nomen cum verbo, suppositum cum apposito, subiectum cum adiectivo.
(?) <marge gauche, f. 96r, S1> accidentia magnam partem conferunt ad cognitionem subiecti.
(?) <marge gauche, f. 96r, S1> scilicet substantialis.
(?) <marge gauche, f. 96r, S 1 > duplex est: absoluta, antequam fiat pars, licet quando sit pars, est respectiva.

< 5 - UTRUM MODUS SIGNIFICANDI ESSENTIALIS GENERALIS VEL SIGNIFICATUM SPECIALE SIT ILLUD PER QUOD PARS EST PARS >

Queritur quod sit illud per quod pars est pars, utrum modus significandi essentialis generalis vel significatum speciale.
<5-1> Et videtur quod significatum speciale sit illud per quod pars est pars, quia per illud est pars per quod est representativa mentis conceptus (?). Hoc apparent per diffinitionem partis in *Maiori*, pars[Page 126b]

enim est vox mentis conceptus representans. Sed significatum speciale est illud per quod est significativa et representativa mentis conceptus. Ergo significatum speciale est illud per quod pars est pars.

< 5-2-1 > Sed videtur quod significatum <generale> sive modus significandi essentialis generalis, quod idem est, sit illud per quod pars est pars, quia hoc nomen *pars* non est dependens. Per illud ergo fit pars pars <per> quod habet dependentiam. Sed modus significandi essentialis generalis est illud per quod habet dependentiam. Iste enim modus significandi principium est inchoativum inclinandi partem ad partem. Ergo modus significandi essentialis generalis est id per quod pars est pars.

< 5-2-2 > Argumentum. Item si significatum speciale reponeret partem in parte, ideo quecumque idem significatum haberent essent eadem pars orationis, quod falsum est, quia *currit*, *cursus* idem significatum habent specialem, sed tamen sunt diverse partes orationis. Ergo significatum speciale non facit partem esse partem, sed modus significandi essentialis generalis.

< Solutio >
Solutio. Dicendum quod pars est pars per suum modum essentiale generalem et[Page 127a]

non per suum significatum speciale. Et ratio huius potest assignari hec, quia illud facit partem esse partem orationis, quod enim dat esse dat distinctum esse (?). Sed

non est dubium quin per modum significandi
essentialiem generalem distinguatur
pars a parte. Ideo modus significandi essentialis
generalis est id per quod pars est
pars.

<Responsio ad argumenta>

<Ad 5-2-1 et 5-3-1> Et concedantur rationes
que hoc concludunt.

<Ad 5-1> Ad argumentum in oppositum
dicendum, quod non est necesse quod
pars sit pars per illud quod est significativum
mentis conceptus. Et tu probas,
scilicet quod per diffinitionem partis,
quia pars est significativa mentis conceptum.
Dicendum quod illa diffinitio partis
non datur a causa efficiente, sed magis a
concomitativo. Unde non est causa mentis [Page 127b]

conceptus quod pars sit pars, sed concomitativum,
quia non potest esse pars
nisi prius significet mentis conceptum.
Pars enim prius fuit dictio quam pars, et
per naturam qua fuit dictio significat
mentis conceptum, quia dictio dicitur a
dicendo suum significatum significare.
Ergo mentis conceptus non est causa per
quod pars est pars, ideo nec significatum,
quia mentis conceptus aliud nihil est
quam significatum speciale, sed modus significandi
essentialis generalis erit causa
per quod pars est pars, et reponit dictionem
in parte. Et rationes adsint pro
causa.

< Gloses >

(?) <marge gauche, f. 96r, S1> Modus significandi
supponit significatum.

(?) <marge droite, f. 96r, S1> Nomen et
verbum sunt principales, sed alie sunt appendices
subiacentes. [Page 128a]

< CAP. 2: DE NOMINE >

< DE MODO SIGNIFICANDI ESSENTIALI GENERALI
NOMINIS >

Tunc de istis modis videamus,
prius de modo significandi essentiali generali
nominis quid sit. Dicitur autem a
gramaticis quod nomen significat substantiam
cum qualitate. Ideo queritur
utrum nomen de significato grammatico significet
substantiam. Secundo utrum qualitatem.
Tertio utrum substantiam cum
qualitate.

< 1-UTRUM NOMEN DE SIGNIFICATO GRAMATICO
SIGNIFICET SUBSTANTIAM >

< 1-1-Quod non>

<1-1-1> De primo videtur, quod non significet
substantiam, quia substantia triplex
est solum, scilicet materia, forma et
compositum. Sed nomen de significato
grammatico non designat aliquid istorum
trium, ergo etc. Quod nomen non significat
materiam, hoc videtur, quia quoddam
est nomen quod non significat materiam,
sicut *albedo*, sed puram formam. Sed si

materia esset de significato grammatico nominis,
omne nomen significaret materiam.[Page 128b]

Et ita videtur, quod nomen non significat
materiam de significato grammatico.
Nec formam, probatio: Quia hoc
quod dico *materia* nomen est. Sed hoc
nomen *materia* non significat formam.
Ergo forma non est de modo significandi
essentiali generali nominis. Item nec significat
compositum, quia quoddam nomen
est quod significat simpliciter substantiam,
sine aliqua compositione, sicut
Deus. Ergo nomen de significato grammatico
non significat materiam, nec formam,
nec compositum. Videtur <ergo> quod
non significet substantiam.
<1-1-2, Item modus significandi essentialis
generalis debet competere omni nomini.
Sed significare substantiam non
competit omni nomini, quia hoc nomen
qualis substantiam non significat. Ergo
etc. Quod non significat substantiam
[non sig] hoc apparet, quia illud idem significat
interrogativum in generali quod
sibi respondetur in speciali. Sed
ad interrogationem *qualiter* respondetur
qualitas. Ergo hoc nomen *qualis* qualitatem
significat et non substantiam. Hoc
autem vult Aristoteles in *Predicamentis*:
albus solam qualitatem significat, ergo
non substantiam.[Page 129a]

< I -QUARE MODUS SIGNIFICANDI QUI EST IN NOMINE NOMINATUR A SUBSTANTIA ET NON ALIO NOMINE >

Si forte dicatur quod ista duo argumenta
bene procedunt de substantia que est res
vera, nomen enim de significato grammatico
non significat substantiam que est res
vera, immo de significato grammatico habet
quendam modum significandi qui nominatur
substantia, tunc est questio, quare
ille modus significandi qui est in nomine
sic nominatur, scilicet a substantia et non
alio nomine, sicut a nomine accidentis vel
aliquo alio nomine quam substantia.

<2-UTRUM NOMEN SIGNIFICET QUALITATEM >

<2-1-Quod non>
<2-1-1> De secundo videtur, quod qualitas
non sit de significato grammatico generali
nominis, et hoc sic. Nichil quod accidit
alicui potest esse ei essentiale. Nichil
enim unum et idem potest esse substantia
et accidentis. Sed qualitas accidit nomini,
ut vult Donatus. Ergo non potest ei esse
de modo essentiali generali nominis.
<2-1-2> Argumentum. Item, id quod variatur
circa nomen accidentale non est
nomini essentiale. Sed qualitas circa nomen
variatur, quia quoddam nomen est
commune, quoddam proprium. Ergo nomen[Page 129b]

de significato essentiali generali non
significat qualitatem.

<2-2-QUOD SIC> In oppositum sunt omnes
auctores gramatice.

<3-UTRUM NOMEN SIGNIFICET SUBSTANTIAM ET QUALITATEM >

Tunc de tertio queritur, utrum nomen significet

substantiam et qualitatem simul.

< 3-1 -Quod non >

<3-1-1> Et videtur quod non, quia maioris simplicitatis debet esse modus significandi essentialis generalis nominis, quam modus significandi essentialis specialis, quia maioris simplicitatis est ipsum superius quam inferius, ut animal quam homo. Sed modus significandi essentialis nominis specialis, sicut modus per se stantis, secundum quod distinguitur contra modum adiacentis, maioris est simplicitatis quam compositum ex substantia et qualitate. Ergo compositum ex substantia et qualitate non potest esse modus significandi essentialis generalis nominis. Et ita nomen de significato grammatico non substantiam significat cum qualitate.
< 3-1-2 > Item, si nomen significet substantiam cum qualitate, tunc omne nomen esset equivocum (?), quod est inconveniens. Probatio consequentie per Aristotelem, supra septimum *Methaphysice*, qui[Page 130a]

dicit quod nihil est commune univocum substantie et accidenti. Forte dicetur ad hoc, quod verum esset, quod omne nomen esset equivocum, si ita esset quod nomen de significato speciali significaret substantiam cum accidente, vel cum qualitate. Et secundum quod sunt res, nihil est commune univocum substantie et accidenti secundum quod res. Tamen quia nomen significat substantiam cum qualitate secundum quod sunt modi transformati a rebus, ideo non oportet quod omne nomen sit equivocum, quia aliquid bene potest esse commune univocum substantie et accidenti secundum quod sunt modi, licet non secundum quod sunt res.

< 3 > Tunc erit questio, que sit causa quare substantie et qualitati, secundum quod sunt modi, potest magis esse aliquid univocum quam secundum quod sunt res, quia sicut est in rebus, ita videtur quod debet esse in modis transformatis a rebus.

< Solutio ad 1 >

Et dicatur ad primum, quando queritur utrum significare substantiam cum qualitate[Page 130b]

sit modus significandi essentialis generalis in nomine, dicendum est cum auctoribus artis gramatice quod sic. Et est verior iste sermo "nomen significat substantiam cum qualitate" quam iste "nomen significat substantiam et qualitatem", quia sub maiori exprimitur unitate modus significandi essentialis generalis nominis, per hoc quod est significare substantiam cum qualitate, quam per hoc quod est significare substantiam et qualitatem (?).

Tunc ergo queritur de partibus huius copulative, quod nomen significat substantiam cum qualitate.

Primo utrum substantia cadat in significato generali nominis. Dicendum quod sic, non autem substantia que est res vera, sed modus significandi transformatus a substantia que est res. Et solet appellari ista substantia in nomine quattuor modis.

Uno modo dicitur substantia in nomine

modus habitus et quietis et hoc est magis usitatus. Alio modo dicitur modus permanentis, et ille modus est secretior. Tertio modo dicitur indivisibilis et ultimo modo modus per se stantis, secundum quod opponitur modo fluentis. Sic ergo [Page 131a]

substantia est in nomine modus permanentis, et appellatur iste modus substantia, que proprietas permanentis convenit omni substantie, unde substantia est. Non autem convenit accidenti, ut accidens est. Ideo modus significandi essentialis generalis nominis, qui est modus permanentis, magis appellatus est substantia quam accidens vel quam alio nomine.

<Responsio ad argumenta>

<Ad 1-1-1 et 1-1-2> Per hoc patet solutio a \d/ prima duo argumenta, que probabant quod substantia non esset de significato grammatico nominis, que procedebant de substantia que est res vera. Et bene conceditur, quod de modo essentiali generali nomen non significet substantiam que est res vera, sed modus significandi qui accipitur a proprietate convenientie substantie omni, in quantum est substantia.

< Solutio ad 1 >

Et per hoc patet etiam solutio istius questionis, quare < Ille modus quil est in nomine > magis appellatur substantia quam [modus] accidens vel quam alio nomine. Iam enim solutus est.

< Solutio ad 2 >

Ad aliud quod secundo queritur, utrum qualitas cadat in significato grammatico nominis, dicendum quod sic, sed non qualitas que est res vera sed quidam modus significandi, qui est significare per modum determinati proprie vel communiter. [Page 131b]

<Responsio ad argumenta>

<Ad 2-2> Et quod arguitur in oppositum, qualitas accidit nomini, ergo etc. <Opiniones aliquorum> <i><i> Ad hoc dicunt quidam, quod qualitas potest duplicitate accipi, ut solvatur controversia que videtur esse inter Donatum, qui dicit eam esse accidens nominis, et Priscianum <qui> dicit eam esse de modo significandi essentiali generali nominis. Uno modo, dicunt ipsi, accipitur qualitas secundum quod qualitas communis et propria dicunt aptitudinem ad multa vel ad unum, sic qualitas est de modo significandi essentiali generali nominis. Alio modo accipitur qualitas in nomine prout qualitas propria et communis dicunt actualitatem ad unum vel ad multa (?). Hoc modo volunt quod sit accidentalis nomini. Et per hoc possent solvi argumenta, si valeret ista distinctio.

<Contra> Sed non valet pro aliquo membro, quia impossibile est quod nomini conveniat actualitas ad plura pro accidente. Probatio. Quicquid habet dictio ab impositione, sive essentialiter, semper illud representat ubicumque sit. Si ergo nomini communi imposta esset pro accidente actualitas essendi in pluribus, secundum quod dicunt, iam ubicumque esset nomen commune, semper representaret

actualitatem plurium suppositorum,
quod esset inconveniens. *Sol enim et luna,*
hi sunt termini communes, non tamen
exprimunt actu plura supposita. Similiter
hoc modo *homo currit*, de vi sermonis,[Page 132a]

non exprimit plura supposita hominis,

quod tamen fieret si veritatem haberet illud
quod dicebatur.

<ii> Alii dicunt aliter, quod qualitas accipitur
dupliciter in nomine. Uno modo, secundum
quod qualitas communis dicit
modum indeterminati, qualitas vero propria
modum determinati, et hoc modo
qualitas est de modo significandi essentiali
generalis nominis. Et ali[qu]o modo
accipitur qualitas communis secundum
quod dicit aliquam hesitationem consequentem
modum indeterminati, et propria
secundum quod dicit quandam certitudinem
que consequitur modum determinati.

Primo modo qualitas est
de modo significandi essentiali generali
nominis, secundo autem modo <est de
modo> accidentalis.

<Contra> Sed hoc iterum non valet, quia
quantumcumque aliqua se ita habent,
quod unum sequitur aliud, est quod
unum non potest esse sine altero. Cuicunque
unum est essentialis, et alterum
erit essentialis eidem. Si ergo modus <determinati
et modus> indeterminati sunt
essentialia nominis, sicut dicunt, oportet
quod hesitatio et certitudo, que sequuntur
modus determinati et indeterminati,
et sint sicut in essentia, sint similiter essentialia,
cuius contrarium dicunt.

<OPINIO PROPRIA> Ideo dicendum aliter,
quod qualitas comparatur ad nomen, et
hoc dupliciter. Aut ad nomen simpliciter,
aut ad nomen speciale, sicut est proprium
vel commune. Si comparatur ad nomen
simpliciter, aut comparatur ad nomen
simpliciter illud totum "qualitas propria"[Page 132b]

vel communis" sub disiunctione, et sic
qualitas est essentialis nomini, et de modo
essentiali generali. Si autem illa membra
"communis vel propria" comparantur ad
nomen simpliciter, ita quod determinate
<ad> alterum membrorum solum, sic
qualitas accedit nomini. Si autem comparetur
qualitas ad nomen speciale, aut
comparatur ad illud unde nomen est, aut
unde tale nomen est. Si comparetur ad illud
unde nomen est, aut comparatur ad
illud sub disiunctione, et sic qualitas est
essentialis nomini, aut determinata ad alterum
membrorum solum, et sic qualitas
accedit nomini. Si qualitas comparetur ad
nomen speciale, unde tale nomen est, aut
comparatur sub disiunctione, et sic est +
aliud (?) tamen hec est + essentialis, aut
comparatur ad alterum membrorum determinata,
et hoc dupliciter. Aut ad illud
membrorum quod sibi convenit comparatur,
<et> sic est ei modus essentialis specialis,
ut in nomine proprio, modus essentialis
specialis est propria qualitas, et nomini
communi communis qualitas; aut
comparatur ad illud alterum membrorum
qualitatis quod sibi non convenit, et sic ei
oppositum est, et ab eo accidentaliter distinguitur.

Per hoc apparent, quod qualitas aliquo modo essentialis est nomini, et aliquo modo accidentalis. Et per hoc possunt salvari auctoritates Donati et Prisciani.
<Ad 2-1-1> Ad primum argumentum dicendum, quod licet qualitas pro altero membro accidit nomini, tamen qualitas, accipiendo eam pro toto disiuncto, pro[Page 133a]

communi vel propria, non accidit nomini simpliciter.
<Ad 2-1-2> Ad aliud similiter per hoc solvitur, quia licet qualitas pro altero membro determinate varietur circa nomen, tamen totum non variatur, et eo modo quo variatur, bene volo quod sit accidentalis nomini[s] prout qualitas comparatur ad nomen simpliciter pro altera parte sui. Sed secundum quod comparatur ad illud pro toto disiuncto essentialis est. Habitum ergo copulatis, scilicet quod nomen de significato grammatico significat substantiam, et quod de eodem significato grammatico significat qualitatem, possumus habere copulativam, scilicet quod nomen de modo significandi essentiali generali significat substantiam cum qualitate. Et appelletur iste modus significandi modus permanentis in ratione determinati proprie vel communis.

< Solutio ad 3 >
Ad aliud quod querebatur, sic dicendum est, quod nomen significat substantiam cum qualitate, non substantiam et qualitatem, secundum quod sunt modi transformati a substantia vera et a qualitate vera.

< Responsio ad argumenta >
<Ad 3-1-1> Ad argumenta in oppositum, dicendum primo ad primum: verum est quod maioris simplicitatis debet esse modus significandi essentialis generalis, quam modus significandi essentialis specialis, sed falsum supponit in minori. Supponit[Page 133b]

enim quod modus per se stantis solum, secundum quod opponitur modo adiacentis, est modus significandi essentialis specialis nominis. Et hoc non est verum, immo modus per se stantis, secundum quod presupponitur modus significandi essentialis generalis nominis, totum hoc est modus essentialis specialis nominis in nomine substantivo, et ita iste modus significandi essentialis specialis compositior est modo significandi essentiali generali nominis: addit enim supra modum significandi essentiale generale.

<Ad 3-1-2> Ad aliud dicendum, quod non est necesse quod omne nomen sit equivocum, sicut dicebatur, quia nomen non significat substantiam cum qualitate sicut veram rem, immo secundum quod sunt modi transformati a substantia et accidente, ut dictum est.

< Solutio ad 3 >
Et tu queris, quare aliquid potest esse univocum substantie et accidenti secundum quod <sunt> modi, non autem secundum quod sunt res. Dicendum ad hoc, quod dissimilitudo est inter substantiam et accidens in re <ex> una parte inter

substantiam et qualitatem, secundum
quod sunt modi, ex altera quia qualitas
que est modus non transformatur a puro
accidente, sed ab accidente partim et et a
substantia partim, quia transformatur a
qualitate que dupliciter est, scilicet qualitas
accidentalis et qualitas substantialis.
Et adhuc qualitas que est modus transformatus
ab istis, prout univocatur in [Page 134a]

hoc communi quod est qualitas, non
prout diversificatur, et ob hoc non aliquid
potest esse commune univocum substantie
et accidenti, secundum quod sunt res.
Potest autem <esse commune univocum>
substantie et qualitati secundum quod
sunt modi transformati a rebus. Ideo ob
hoc remanet, quod nomen significet de significato
generalii substantiam cum qualitate,
non tamen propter hoc omne nomen
erit equivocum.
Est ergo modus significandi essentialis
<nominis> significare substantiam cum
qualitate, vel quod idem est, significare
per modum permanentis et determinati
proprie vel communiter.

< Gloses >

(?) <marge gauche, f. 96v, S1> Equivoca:
quedam dictio tripliciter significat multa.
Uno modo sicut nomen significat substantiam
et qualitatem, et unde est propter
aliud. Per talem autoritatem Aristotelis ..
unde propter aliud utrobique (?) tantum [Page 134b]

unum. Alio modo dictio (?) multa significat
et hoc equivoce ut *canis*. Tertio
modo dictio multa significat analogice. Et
componitur ab *ana* quod est sursum, et
logos quod est sermo, quia est sermo de
superioribus ad inferiora, sicut ens primo
predicatur de substantia, secundo modo
de accidente.
(?) <marge gauche, f. 96v, S1> Omne nomen
significat substantiam cum qualitate.
Videtur(?) esse figura sive vitium
so<le>cismus qui fit per partes aut circa
<species> partium orationis. Sed potest
ex<cu>sari per emphasim, et ponitur ab e
quod est extra, *phasis* <lo>cutio, quasi
expressa locutio. <Ex>primitur enim
plus quando dicitur <quo>d significet
'cum' quam 'substantiam' <et>; vel per
endiadim, componitur ab *en* quod est in,
dia quod est duo et *d/s* quod <est> nota
resolutionis. Resolvitur substantiam in
qualitate et econverso.
(?) <marge droite, f. 96v, S1> cum procedit
de communi in proprium et econverso.
Unde variatio pretendit (?) accidens
et accidens est actus. [Page 135a]

< CAP. 3: DE VERBO >

De modo essentiali generali
verbi queritur sic primol utrum verbum
de modo essentiali generali significet
agere vel pati sive per modum fluentis.
Secundo queritur utrum sit de modo significandi
essentiali generali verbi quod
significet per modum inclinabilis ad aliud
cum distantia. Tunc erit questio ad evidentiam
istorum, utrum aliquid exists
in motu possit imponi ad significandum

nominaliter et aliquid existens in quiete
possit imponi ad significandum verbaliter.

< 1-UTRUM VERBUM DE MODO ESSENTIALI
GENERALI SIGNIFICET AGERE VEL PATI,
SIVE PER MODUM FLUENTIS >

< 1-1 > De primo videtur quod verbum, de modo significandi essentiali generali, non significet agere et pati sic, quia nullum accidens partis est de eius significato essentiali generali. Sed agere et pati verbo accidentunt. Ergo agere et pati non sunt de significato essentiali generali verbi. Maior patet quod nihil est idem substantia et accidens eidem. Minor similiter patet, quia agere et pati, sive activum et passivum, sunt significationes accidentales verbo sive genera. Ergo etc.

< 1-2> Item, nihil est commune univocum [Page 135b]

ad diversa predicata, ut habetur in primo *Topicorum*. Sed actio et passio sunt diversa predicata. Ergo nihil est eis commune univocum. Sed illud quod non est univocum non potest esse modus significandi essentialis generalis unius partis.

Ergo agere et pati non possunt esse modus significandi essentialis generalis in verbo.

<1-3> Item, quod verbum non significet per modum motus et fluentis, specialiter arguitur sic. Modus significandi essentialis generalis verbi debet competere cuilibet verbo, aliter non esset generalis.

Sed hoc verbum *sum* non significat per modum motus, quia significat substantiam indivisibilem et esse indivisiblem.

Similiter ista verba *generari* et *corrumpi* non significant motum, quia omnis generatio et corruptio fit in instanti, et quod fit in instanti non fit in motu. Ergo significare per modum motus et fluentis non est modus significandi essentialis generalis in verbo.

< 1-4> Item, accipiatur eadem maior. Modus essentialis generalis verbi debet competere cuilibet verbo. Sed verba absoluta non significant per modum motus, sed magis per modum terminati. Unde Priscianus in *Minori* aliquando ea appellat perfecta. Ergo modus motus et fluentis non est modus essentialis generalis verbi. [Page 136a]

< 2-UTRUM VERBUM DE MODO SIGNIFICANDI
ESSENTIALI GENERALI SIGNIFICET PER MODUM
INCLINABILIS AD ALIUD CUM DISTANTIA >

Tunc de secundo queritur, utrum verbum de modo significandi essentiali generali verbi significet per modum inclinabilis ad aliud cum distantia.

< 2-1 -Quod non >

<2-1-1> Et videtur quod non. *Sortes qui currit disputat*, hoc quod dico cumt non inclinatur ad Sortem cum distantia, sed a parte eiusdem extremi construitur cum hoc quod dico *Sortes*. Ergo verbum non significat per modum inclinabilis cum distantia ad aliud.

<2-1-2> Item, dicit P.H. super secundum minoris, quod <cum dicitur> Sortem currere est possibile, *Sortem currere* se tene<n>t a parte unius extremi et sunt in

ratione nominativi casu suppositis. Ergo
non sed habent per distanciam +minoris+

< Quod sic >

< OP 2-1 > In oppositum arguitur. Verbum
significat per modum inclinabilis. Hoc
docet modus ipsius verbi: in omni enim
verbo est modus, et modus est qualitas inclinabilis.[Page 136b]

Ergo aut significat per modum
inclinabilis cum distantia, aut sine distantia.
Si cum distantia, habeo propositum.
Si sine distantia, verbum erit participium.
Ergo aut verbum significabit per modum
inclinabilis cum distantia ad aliud, aut
hoc inconveniens sequeretur, quod verbum
est participium.

< 3 UTRUM ALIQUID EXISTENS IN MOTU
POSSIT IMPONI AD SIGNIFICANDUM NOMINALITER,
ET ALIQUID EXISTENS IN QUIETE
POSSIT IMPONI AD SIGNIFICANDUM VERBALITER >

Ultimo queritur, ad evidentiam istorum,
utrum res existens sub motu et dependentia
possit imponi ad significandum
nominaliter, hoc est sub modo significandi
essentiali generali nominis, qui est
modus permanentis determinate proprie
et communiter, et econverso, utrum res
existens in quiete et permanens possit imponi
ad significandum verbaliter, et hoc
sub modo essentiali generali verbi.

< 3-1 -Quod non >

Et videtur quod non. Imponens non imponit
voces ad significandum res nisi eo
modo quo intellexit res. Hoc est probabile,[Page 137a]

quia impositio vocis respondet modis
intelligendi. Sed imponens non intellexit
rem manentem sub modo fluentis, et
rem fluentem sub modo manentis. Ergo
non potuit imponere rem manentem verbaliter,
nec rem fluentem nominaliter.
Probatio minoris, quod imponens non
potuit intelligere rem manentem sub
motu, nec rem fluentem sub permanentia.
In primo *De Anima* dicit Aristoteles,
quod intellectus verorum est. Ergo intellectus
apprehendens non est falsus. Sed si
intellectus apprehendens apprehenderet
rem manentem sub modo fluentis, et rem
fluentis sub modo permanentis, falsus esset.
Ergo intellectus non potest intelligere
rem manentem sub modo verbalis, nec
rem fluentem sub modo nominali.
Item, in eandem arguitur minorem sic.
Nihil est <in> intellectu nisi prius fuerit in
sensibus, <ut dicitur> in primo *De
anima*. Sed sensibiliter res permanens
numquam est in motu, sive in modo
fluentis - non est enim res successiva
immo permanens. Ergo non erit
verum, quod intellectus intelligat rem
fluentem sub modo permanentis, nec non
permanentem sub modo fluentis. Et ita
res permanens non poterit imponi sub
modo verbali, nec res fluens et successiva
sub modo nominali.[Page 137b]

< 3-2-Quod sic >

< 3-2-1 > In oppositum tamen est impositio.
Cursus enim et *motus* significant rem
mobilem et fluentem sub modo permanentis.

< 3-2-2 > Item, esse rei est indivisible et permanens ad minus (?) permanentis. Tamen esse rei significatur verbaliter, et per hoc est verbum. Ergo res existens sub motu potest imponi ad significandum sub modo nominali, qui est modus permanentis, et res existens in quiete et permanentia potest imponi ad significandum sub modo nominali.

< 3-2-3 > Item, rnaior distantia est inter ens et non ens, quam inter modum fluentis et per se stantis. Sed non ens potest imponi ad significandum sub modo entis. Ergo res permanens potest imponi sub modo fluentis et econverso. Quod non ens possit significari sub modo entis, hoc apparet, quoniam hoc nomen nichil significat non ens sub modo substantie et qualitatis, qui sunt proprietates entis.

< Solutio ad 1 >

Solutio. Dicendum quod modus significandi essentialis generalis verbi est modus motus <et> significare per modum agere et pati - modus dico motus fluentis inclinabilis ad aliud cum distantia, omnia ista idem sunt. Unde antiqui appellabant modum [Page 138a]

significandi essentialem generalem
verbi significare agere et pati. Sed tamen
agere et pati in se non est modus significandi
essentialis generalis verbi - immo
agere et pati sunt duo ad que communis
est modus significandi essentialis generalis
verbi - sed modus motus, quem modum
motus moderni ponunt esse modum
significandi essentialem generalem verbi.
Significat ergo verbum per modum motus
vel fluentis quod est commune ad agere et
paci. Et ita agere et pati non est de significato
generalis verbi.

<Responsio ad argumenta>

<Ad 1-1> Ad primum argumentum in oppositum dicendum, quod actio et passio dupliciter possunt considerari, aut quantum ad commune materiale, secundum quod est scilicet motus, et sic non accidit verbo, sed sunt de modo significandi essentiali generali verbi, qui est modus motus et fluentis; aut quantum ad eorum speciales naturas, quas addunt supra motum. Unde actio addit supra motum terminationem motus per terminum ad quem, passio vero addit terminationem motus per terminum a quo. Et sic actio et passio sunt significationes accidentales verbi. Et secundum hoc non dicitur, quod verbum significet agere vel pati, sed primo modo [Page 138b]

<Ad 1-2> Ad secundum potest dici, quod nihil est commune univocum diversis predicamentis, verum est <secundum quod> reale, sed bene potest esse commune univocum <secundum> quod sit modus. Vel dicendum aliter, quod actio et passio, quantum ad suum principium materiale, quod est motus, non sunt predicamenta, quia in suo <principio> materiali non differunt, sed magis convenient. Et constat quod non sunt predicamenta nisi per illud per quod sunt distincta predicamenta, quia quod dat esse6 dat distinctum esse. Hoc modo potest eis esse commune

aliquid univocum, sicut quidam modus intelligendi utrumque univoce. Hoc modo, ut iam dictum est, agere et pati sunt de modo significandi essentiali generali verbi. Sed quantum ad suas conditiones formales sunt predicamenta distincta.

Iste autem conditiones formales sunt terminatio motus < per terminum ad quem et > per terminum a quo. Hoc modo concessum est quod sunt accidentia verbi.

<Ad 1-3> Ad aliud dicendum, quod modus motus et fluentis non competit istis verbis *sum, es, est, generari* et *corrumpi* de significato speciali. Hoc modo concludunt argumenta. Tamen de modo significandi essentiali generali significant suum significatum speciale per [Page 139a]

modum motus et fluxus. Non enim oportet quod modi, qui sunt in dictione, semper correspondent proprietatibus rei, sicut declarabitur magis etiam < in > sequenti problemate.

< Ad 1-4 > Ad aliud dicendum, quod omni verbo competit modus motus et fluentis. Et quod obicitur de verbis absolutis, dicendum quod eis competit modus motus et fluentis, sed ille modus fluentis terminatur per rem intra. Et intelligere sane quidam credunt, quod ita terminetur per rem intra, quod cum illa construatur transitive, ut *vivo vitam, vado vadationem*.

Sed in veritate hec est incongrua de vi sermonis, *vivo vitam*: licet hoc quod dico *vitam* sit res significata per hoc quod dico *vivo*, tamen illam non potest exigere, quia convenientia grammaticalis fundatur supra modos significandi. Et secundo, de vi sermonis, hec est adiectio incongrua *vivo hominem*, sicut hec *vivo vitam*, cum utrobique < non > sint ibi modi significandi qui exiguntur ad hanc constructionem. Sed debes intelligere quod motus terminatur in verbis absolutis, id est in se finitantur, sicut [per] motus in verbis transitivis terminatur in rem extra (?).

< Solutio ad 2 >
Ad illud quod queritur, utrum in significato essentiali generali verbi cadat modus inclinabilis cum distantia, dicendum est [Page 139b]

quod sic. Et exponitur communiter "cum distantia" id est in ratione alterius extremi, ita quod nunquam potest cedere in idem extremum cum parte significante substantiam, sed semper se habeat in ratione alterius extremi. Sed melior modus exponendi est, quod verbum significat per modum inclinabilis ad aliud cum distantia, id est maxime inclinatur inter omnia inclinabilia. Probatio istius expositionis est, quod inter maxime distantia maxima est inclinatio. Quod autem verbum inter omnia inclinabilia maxime inclinetur, hoc appareat per quosdam effectus, quia modus, qui qualitas est inclinationis, in nullo inclinabili invenitur preterquam in verbo.

Iterum illud maxime inclinatur, cui respondet maxima persistantia, vel exigit maxime persistantiam. Huiusmodi autem est ipsum verbum. Ideo verbum inter omnia inclinabilia maxime inclinatur. Et licet

inter verba quedam sunt magis inclinabilia,
quedam minus, sicut verbum finiti
modi magis quam infinitivi modi, et transitivum
magis quam absolutum, tamen
verbum minime inclinabile inter omnia
verba maxime inclinatur respectu alterius
inclinabilis, quantumcumque sit illud inclinabile,
sicut respectu participii, vel respectu
nominis adiectivi. Quantumcumque
inclinabilia sunt verba minime inclinationis
inter verba, magis est ad hoc inclinabile
verbum. Ergo maxime inclinatur[Page 140a]

inter alia inclinabilia. Et quia distantia
maxima est inclinatio, ideo verbum appellatur
inclinabile cum distantia.

< Responsio ad argumenta >

<Ad 2-2> Et concedatur argumentum pro
parte ista. Hoc enim dictat modus in
verbo, quod sit maxime inclinabile, et
ideo cum distantia - distantia enim est
inclinatio, ut dictum est.

<Ad 2-1-1> Ad primum argumentum in
oppositum secundum primam viam dicitur
sic, quod li *Sortes qui currit* potest
comparari duplisper ad..., aut hoc totum
Sortes qui currit ad predicatum disputat,
et sic discernunt idem extremum, aut
comparando inter se [se] *currit ad Sortem*,
et sic est in ratione alterius extremi
Sed sic potest esse duplisper

ista oratio *Sortes qui currit* disputat. Sed
tamen credo quod sit una, sicut hec: *Sortes*
currens disputat, hec enim accipitur
pro una aliarum: *Sortes albus disputat*, et
[licet] ex ea sequantur implicite.

Ideo dicatur ad argumentum, sed secundum
< secundam > viam, quod ibi est equivocatio
huius quod dico "cum distantia".

< Potest esse aliiquid cum distantia > ita
quod in ratione alterius extremi, potest
< esse > aliiquid cum distantia, id est in ratione
maxime inclinabilis. Quando ergo
dicitur, quod verbum est inclinabile cum
distantia, intelligitur quod sit maxime
inclinabile, non quod se habeat in ratione[Page 140b]

alterius extremi. Econverso procedit argumentum.

< Ad 2-1-2 > Ad aliud, secundum primam
viam diceretur, quod < cum dicatur> *Sortes*
currere est possibile, currere enim est
< verbum >, et cum hoc quod dico < Sortes >
se < tenet > in ratione eiusdem
extremi, et in nominativo casu, et ideo
non est mirum, si sine distantia se habet
ad *Sortes*. Sed hoc nihil est quod regit accusativum
casum. Ideo est verbum et verbaliter positum.
Propterea respondendum est ad argumentum
per equivocationem huius quod
dico "cum distantia" eodem modo, sicut
dicebatur ad argumentum prius immediate
factum.

< Solutio ad 3 >

Ad id quod queritur, utrum res existens
sub permanentia et quiete possit imponi
ad significandum per modum fluxus et
econverso, hoc est querere illam falsam
suppositionem (?), utrum modi intelligendi
[rem] semper respondeant proprietatibus
rei.

Et solet dici quod sic, tamen non est verum,
quia intellectus apprehendens intelligit
in re et proprietatem existentem et

non existentem. Unde intelligimus dum sentimus aut non, primo De anima.
Cum ergo modi intelligendi non semper sint consimiles proprietatibus rei, et modi significandi finitantur supra modos intelligendi, ideo non oportet quod res semper[Page 141a]

imponatur ad significandum sub modis et proprietatibus rei.
Dicendum ergo ad questionem, quod bene possibile est < intelligere > rem manentem sub modo fluentis, et rem fluentem sub modo manentis, unde plures impositiones fiunt in ipsa voce
Prima est vocis ad suum significatum et hoc est a voluntate imponentis cum aliqua abilitate vocis. Unde dicit Alanus, quod rebus existentibus, ut videtur genus humanum voces ad significandum res pro libito sue voluntatis imponit.
Secunda impositio [[vocis]] similiter f[u]it a voluntate, vocis scilicet significantis ad modum essentialiem generalem.
Sed alie impositiones, sicut impositio vocis significantis ad modum significandi essentialis specialis, et ad accidentia, non fiunt ita a voluntate, sed limitabantur a modo significandi essentiali generali.[Page 141b]

Unde aliquid ei repugnans non potest post ipsum imponi in dictione.
Si queritur tunc quare significatum speciale non regulat impositionem modi significandi essentialis generalis, sicut modus significandi < essentialis generalis regulat modum significandi > essentialiem specialem, < dicendum > ergo quia diverse sunt impositiones, et diversi generis (?): una enim est modi, altera est rei. Sed impositio modi significandi essentialis generalis regulat impositionem aliorum modorum, quia eiusdem generis sunt impositiones, utrobique enim modus significandi imponitur. Apparet ergo quod impositio modi significandi essentialis generalis non regulatur a significato speciali.

< Responsio ad argumenta >
< Ad 3-2 > Ad argumentum in oppositum, dicendum per interemptionem minoris, quod impositores possunt intelligere rem[Page 142a]

manentem sub modo fluentis et e converso.
Et quod arguitur in oppositum, dicendum quod intellectus verior intelligitur de intellectu principiorum. Sed intellectus apprehendens nec < est > verus nec falsus, ut vult Aristoteles in principio *Perihermeneias* quia intellectus apprehendens est sine compositione et divisione, et circa compositionem et divisionem consistit veritas et falsitas. Licet enim intellectus apprehendens < apprehendit > rem que est vel que non est, tamen eam non apprehendit esse vel non esse. Ideo < quando > intellectus intelligit rem manentem sub modo fluentis, non debet dici falsus, dum non eam rem intelligit manentem scilicet esse sub modo fluentis. Et e converso, possum enim intelligere chimeram vel hircocervum, tamen nec verus nec falsus est intellectus, dum < non > intelligat eam esse vel non esse.
Ad hoc dicendum quod nichil est in intellectu

nisi prius fuerit in sensu (?). Hoc est verum: quicquid est in intellectu prius fuit in sensu, sed non oportet quod fuerit in sensu in illo in quo intelligitur, sed sufficit quod in alio fuerit in sensu (?). Unde hec vox *nihil* potuit imponi ad significandum non ens, intelligendo non ens sub proprietate entis. Non tamen oportet quod proprietates entis prius fuissent in non ente sensibiliter, sed sufficit quod fuissent in alio, sicut in homine vel in lapide, et ibi accepit illas proprietates entis, sub quibus imponit non ens. Eodem [Page 142b]

modo dico quod res permanens potest intelligi sub modo fluentis, non quod illi modi rei fluentis prius fuerant sensibiliter in re manente, sed quod intellectus accepit illos modos rei fluentis a re fluente, ubi fuerant sensibiliter, et imponit vel attribuit rei permanenti imponendo ipsam ad significandum sub illis modis. Et ita nihil fuit in intellectu, quod prius non fuit in sensu, vel in illa re in qua est in intellectu vel in anima. Et ita res permanens potest imponi sub modo fluentis, et res fluens sub modo permanentis.
[de verbo]

--

< Gloses >

< marge gauche, f. 97v, S2 > Duplex est transitio. Transitio intra et extra. Quedam verba terminantur intra, quedam per rem extra ut transitiva. Per rem intra, sicut sunt absoluta ...

< marge inférieure, f. 97v, S2 > Notandum quod agere et pati prout uniuntur ... materiali hoc quod est motus sunt essentiales et generales in verbo, prout ... sunt distincta per formam, ita quod agere est per se

et passio est per se, et addunt aliquod supra motum quod < est > terminum ad quem, sic est actio, et terminum a quo, sic est passio. Sic sunt verbo modi accidentales.

< marge inférieure, sous la précédente, f. 97v, S2 > notandum quod duplex est motus. Motus < qui > est (?) in substantia et motus successivus. Motus in substantia [Page 143a]

est sicut hoc verbum sum, motus successivus sicut curro.

(?) < marge inférieure, f. 98r, avec un signe en marge du texte, appelant le signe écrit en face de la glose, S2 > Quedam verba maxime inclinantur, sicut hec que non sunt in uno situ, sicut exemplum homo currit. Quedam minus, sicut adiectiva et participium, illa faciunt unum suppositum. Quedam magis sicut infinitivus cum nomine, ut Sortem currere, et hoc ... [electus] it propter regimen, quia regere est appetere, et quod antequam appetit inclinatur ad hoc. Et tamen infinitivus per se non potest supponere ut currere bonum est, quasi sapit naturam nominis, et ponitur ... huius accusativi non nota hic sed iuxta quid fiat inclinatio per modos et per regimen: Sortem currere, Sortem regitur a verbo currere, et ita inclinatur ad ipsum ... < Marge supérieure et droite, f. 98r, S2 > Notandum quod modi significandi, aliquando

correspondent proprietatibus rei,
aliquando non... depingit imagi (?) ut
homo medius leo medius equus vel chimera
vel aliquid simile.

< marge droite, f. 98r, S1: correspond à la
réponse ad 3-2 > Duplex est intellectus,
apprehendens et componens, apprehendens
nec est verus nec falsus, componens
est verus quia cum <dicitur> est homo, est
verum vel non. Preterea quando dicitur [Page 143b]

quod nihil est in intellectu nisi prius fuerit
in sensu, verum est de intellectu... Et
sic modi significandi fundantur supra modos
intelligendi, modi intelligendi super
modos essendi natura, et sic correspondent
proprietatibus rei. Intellectus autem
per se, firmior et nobilior est sensu. Unde
per intellectum modi significandi fundantur
supra modos intelligendi, modi intelligendi
super modos essendi dictionis, et
sic [non?] correspondent. Unde dicit
Boethius in Vto p... , "frustra est auctor si
non operatur aliqua per se".

(?) < marge droite, f. 98r, S1 > quia significatum
speciale considerat locutus, modi
vero significandi grammaticus, et non sunt
eiusdem generis.

(?) < marge gauche, f. 98v, S1 > de rebus
veris est intelligendum.

(#948;) < marge gauche, f. 98v, S1 > Dixit Aristoteles,
omne quod est < est > per se aut
per aliud. Preterea radices sunt similes
ori. Preterea, si senex habebit oculum iuvenis,
videbit ut iuvenis. Preterea tantum
potest dictio quantum permittit sua significatio.

< marge gauche, f. 98v, S2 > Nota quod
duplex est sensus, per se et per accidens.
Per se ut cum aliquis (?) videt oculis vel
percepit per alios sensus; per accidens ut
quando Deum cognoscimus per subiectum (?)
et per creaturam ... [Page 144a]

< CAP. 4: DE PARTICIPIO >

< 1-UTRUM PARTICIPIUM SIGNIFICET SUBSTANTIAM ET ACTUM, VEL ACTUM PURUM >

<f.98va25> Consequenter (?) queritur de
modo significandi essentiali generali participii,
utrum participium significat de
modo significandi essentiali generali substantiam
et actum, vel actum purum.

< 1-1-Quod significat actum purum >
< 1-1-1 > Et arguitur quod participium actum
purum significet. Effectus unigenus
debet esse sue cause. Sed participium est
effectus verbi, quia dicit Priscianus quod
necessario fiebant verborum translationes
in casuales figuratas cum generibus, que eis
accidunt etc. Ergo cum verbum significet
actum purum, participium non significabit
substantiam < sed actum purum > .

< 1-1-2 > Item, si participium significaret
substantiam, hic esset nugatio homo legens,
cum ibi esset geminatio substantie
immediata. Et tamen ibi non est nugatio.
Ergo participium non significat substantiam
sed actum purum.

< 1-1-3 > Item, modi oppositi non sunt
compossibilis in eodem modo significandi
essentiali generali. Sed significare
substantiam et actum sunt modi oppositi, [Page 144b]

quia modus substantie est modus permanentis,
actus in verbo est modus fluentis.
Isti modi non sunt compossibles in eodem.
Quare participium significabit actum
purum.

< 1-2-Quod significat substantiam et actum >
< 1-2-1 > In oppositum arguitur per auctoritatem
Prisciani. In illa parte "participis
Quoque", dicit ibi "attende in his quoque
quanta vis est substantiam significantium,
quod et loco participii, < quod et >
substantiam ipsius que agit vel patitur, et
actum vel passionem significat, accipitur
nomen substantivum cum verbo" etc.
Vult ergo Priscianus quod participium
significat actum vel passionem et
substantiam que agit vel patitur. Et ita apparet
[quod] ex intentione Prisciani quod
participium significet substantiam et actum.
< 1-2-2 > Item, participium dicitur quia
partem capit a nomine et a verbo. Sed a
verbo accipit modum fluentis. Ergo a nomine
debet aliud accipere, quod sit de
suo modo significandi essentiali generali.
Sed non videtur aliud accipere a nomine [Page 145a]

preterquam substantiam. Ergo participium
significat actum cum substantia.
Tu dicis, quod participium dicitur a "partem
Capio", non quia capit partem modi
significandi essentialis generalis a nomine
et partem a verbo, sed quia accipit partem
accidentium ab utroque.
Contra. Dicit Priscianus, quod equaliter
capit a nomine et a verbo. Sed a verbo
accipit partem modi significandi essentialis
generalis. Et ergo a nomine debet accipere
partem < modi significandi essentialis
generalis >.

< 1-2-3 > Item, participium denominatur a
"partem capere". Sed omnis denominatio
debet esse a digniori. Ergo participium
accipit dignorem < partem > a quo accipit
< denominationem >. Et ita videtur, quod
participium accipiat a nomine partem
modi significandi essentialis generalis,
cum iste modus sit dignior quam accidentia.

< 1-2-4 > Item videtur, quod participium
significet substantiam et actum.
< a > Primo quod significat actum, probatur
sic, idest quod significet per modum
fluentis.

< al > Ubi cumque est reperire tempus, ibi
est reperire motus. Ergo ubi cumque est
reperire modum temporis, ibi est reperire
modum motus. Sed in verbo est et in participio
reperire modum temporis. Ergo et
modum motus, ita et modum fluentis.

< a2 > Ubi cumque est reperire significationem
accidentalem, que dividitur in activam [Page 145b]

et passivam, ibidem est reperire modum
motus et modum fluentis. Sed in
participio contingit invenire significationem
activam et passivam. Ergo participium
significat per modum motus. Maior
patet. Ubi cumque est reperire posterius,
ibi est reperire prius. Sed motus prior est
ad activum et passivum, (< quod > idem est
quod modus terminatus per terminum ad
quem vel per terminum a quo), et ubi cumque
invenitur activum et passivum,
ibidem invenitur motus.

< b > Et tunc arguitur, quod participium

significet substantiam.

< bl > Ubi cumque est reperire proprietatem essentialiem substantie, que essentialiter collocatur < cum > substantia, ibi est reperire substantiam veram (?). Hec propositio est in subiecto, et implicatur causa predicamenti. Sed in participio est invenire casum que est proprietas substantie, nunquam deserens substantiam. Ergo in participio est substantia.

< b2 > Item, ubi cumque est invenire genus et discretionem sexus, ibidem est reperire substantiam. Hoc est probab< i >issime: nihil enim inventur habere sexum nisi quod est substantia. Sed in participio est genus, quod est discretio sexus. Ergo in participio est invenire substantiam. Igitur prius probatur quod participium significat substantiam et actum, sive per modum manentis et fluentis.

< 1-2-5 > Item, participium habet constructionem nominis et verbi. Sed constructio[Page 146a]

xcausatur a modo significandi.

Ergo participium habet partem modorum significandi ab uno, et partem ab alio (?). Forte tu dices, quod constructio causatur a modo significandi non quibuslibet nisi ab accidentibus, et ita participium non accipiet modos significandi a nomine et a verbo nisi accidentia.

Sed contra. Modus significandi essentialis generalis debet regulare omnes alios modos significandi subsequentes. Ergo participium non potest habere accidentia nominis et verbi nisi habeat de significatis generalibus illorum. Ergo participium de modo significandi essentiali generali significat substantiam et actum.

< Solutio ad 1 >

< Solutio quorundam >

<i> Solutio. Antiqui dixerunt de ista materia, quod participium significabat substantiam et actum. Et cogebantur hoc dicere propter hoc quod videbant, quod participium exponi solet per nomen et[Page 146b]

verbum, ut *legens, qui legit*. Et ita voluerunt, quod in significato verbi caderet substantia, quia videba< n >t eam cadere in sua expositione.

< Contra > Sed certum < est > quod hec expositio respondet significato speciali. Nos autem loquimur de modo essentiali generali. Adhuc non est verum quod omne participium significet substantiam de significato speciali, quia *currit et currans* idem significant, et currit substantiam non significat. Ideo neque currens.

Sed illud dat intelligere. Et ita apparet, quod dictum eorum nihil est ad propositum. Ideo < etc > .

< ii > Quidam moderni dicunt, quod participium significat actum purum per modum fluentis solum.

< Contra > Sed hoc nihil est, quia quidquid est in modo significandi participii, esset in modo significandi verbi, et ita participium esset idem cum verbo. Sed hoc est falsum, quia haberent eadem accidentia, quia modus significandi regulat accidentia.[Page 147a]

Propter hoc enim sequitur, quod participium habet pro modo significandi essentiali generali partem modi significandi essentiali generali nominis. Ideo non addit aliquod accidens supra accidentia nominis. Licet magis distinguuat aliquod accidens quam nomen, scilicet personam, tamen non addit accidens aliud ab accidentibus nominis. Similiter quia haberet eadem accidentia que sunt in verbo. Sed nos videmus quod participium habet genus, quod est discretio sexus, et habet casum, que non invenitur in verbo. Ideo necesse est quod addat aliquid supra modum significandi quem accipitur a verbo. Quare non significabit actum per modum fluentis solum.

< Solutio propria >

Ideo dicendum, quod participium significat substantiam et actum. Sed substantia duobus modis dicitur. Uno modo appellatur substantia modus permanentis, et sic substantia significatur per nomen de modo significandi essentiali generali, et opponitur ista substantia modo fluentis. Et talis substantia non significatur per participium de modo essentiali generali. Alio modo appellatur substantia quidam modus significandi per modum fluentis sine distantia, et iste modus opponitur modo significandi per modum inclinabilis cum distantia. Talem substantiam significat participium de modo significandi essentiali [Page 147b]

generali. Et appareat quod sic significare < est significare > per modum inclinabilis ad aliud sine distantia, quia sicut dicebatur de verbo, quod inclinari ad aliud cum distantia idem est quod inclinari maxime inter omnia inclinabilia, ita per oppositum inclinari sine distantia in principio, idem est quod non inclinari maxime inter omnia inclinabilia. Et hoc est idem quod posse facere unum extremum aliquod, ita quod participium cum illo ad quod inclinatur sine distantia possit cedere in idem partem unius extremi. Et istud inclinare sine distantia possit appellari in principio substantia; quia participium possit facere idem extremum cum illo ad quod inclinatur, hoc quodammodo sapit naturam substantie. Et quodammodo ista substantia principii, quod est inclinare sine distantia, proportionalis est modo per se stantis. De modo significandi essentiali generali et de modo significandi essentiali speciali potest idem participium facere extremum idem, et hoc per naturam illius modi significandi, qui est inclinari ad aliud sine distantia. Significat ergo participium de modo significandi essentiali generali substantiam et actum. Et appelletur ista substantia non modus per se stantis nominis, sed modus inclinabilis ad aliud sine distantia, qui proportionalis est modo per se stantis in nomine. Eo quod cum eo potest supponere verbo, potest habere naturam permanentis, [Page 148a]

non dico per se, sed per appositionem ipsius participii ac nomen ex eadem parte extremi.

< Responsio ad argumenta >

Et conceduntur argumenta, que probabant quod participium significat substantiam, sed quia quidam probabant quod participium significat illam substantiam nominalem scilicet per modum permanentis, ideo ad illa respondendum est.

< Ad 1-2-1 > Primo ad primum. Cum dicit Priscianus, participium significat actionem vel passionem et substantiam eius qui agit vel patitur, non intelligit, quod participium significet ista < m > de modo essentiali generali, sed intelligit, quod participium significat de significato speciali actionem vel passionem, et de eodem significato speciali dat intelligere substantiam agentem vel patientem, si non exprimatur. Et hoc est necessarium quia accidens dat intelligere suum subiectum.

< Ad 1-2-2 > Ad aliud bene concedendum est quod participium aliquid accepit, et adhuc de modo significandi essentiali generali. Sed non oportet quod propter hoc accipiat <modum> nominalem, sed sufficit quod accipiat modum significandi proportionalem substantie nominali, pro tanto quia accipitur quasi impressio substantie nominalis, que est modus permanentis,[Page 148b]

scilicet (?) quasi ad similitudinem. Sed est differentia, scilicet in hoc quod n< omen > inde habet talem modum permanentis, quo per se bene potest supponere. Participium autem non per se, sed in hoc convenit quod cum alio bene potest, sicut cum nomine ipso. Et ista aptitudo est substantia in participio, scilicet quod aptum est supponere cum nomine. Ista aptitudo est substantia in participio, et hanc substantiam potest habere a nomine per similitudinem, ut dictum est. Respondebatur tamen ad hoc quod dico quod participium potest dici participium partem capiendo a nomine et a verbo in accidentibus, et non oportet quod acciperet a modis generalibus nominis et verbi. Conceda[n]tur quod participium non solum sumit partem accidentium a nomine et a verbo, sed etiam sumit partem modi significandi generalis a nomine et partem a verbo, scilicet illam partem quam accipit a verbo, vero modo accipit, scilicet modum fluentis. Illa autem quam accipit a nomine non est substantia que est modus permanentis, sed substantia que proportionalis est illi modi permanentis, et que accipitur in participio per redundationem modi permanentis nominalis. Non tamen redundat in participio ille modus permanentis ita vere sicut in nomine, sed aliquiliter est ille modus permanentis in participio, quia de illo modo participium[Page 149a]

cum alio habet supponere. Non tamen debet appellare modus permanentis, sed modus inclinabilis sine distantia, idest non multum inclinabilis.

< Ad 1-2-4 al et 1-2-4 a2 > Alia duo argumenta concedebantur, que probabant quod participium significabat actum.
< Ad 1-2-4 b1 et 1-2-4 b2 > Ad alia duo que probabant, quod participium significaret substantiam, dicendum est unica solutione, quod < non > est necesse ad hoc quod aliquid habeat casum et genus,

quod est discretio sexus, et alia accidentia nominis, quod propter hoc habeat modum generalem significandi nominis, vel significat de modo significandi essentialis generalis substantiam nominalem, que est modus permanentis, sed sufficit quod habeat modum proportionalem ipsius substantie nominalis, per quem possit fieri unum extremum cum nomine Et sine tali distantia ad minus non potest aliquid habere casus et genus, quod est discretio sexus. Et talem substantiam habet participium.

Et ideo potest habere accidentia quedam ipsius nominis.

< Ad 1-1-1 > Ad argumenta que probabant, quod participium non significaret

substantiam, dicendum est primo ad primum.

Quando dicitur, quod effectus debet

esse unigenus sue cause, hoc intelligitur

de causa materiali non efficiente, et

unigene non univoca. Non enim oportet,

quod si dominicator est homo, quod

domus sic sit similis homini. Similiter non [Page 149b]

oportet, si verbum de modo essentiali generali significet actum purum, quod etiam

participium significet actum purum.

< Ad 1-1-2 > Ad aliud dicendum, quod valet

bene de significato speciali. Si enim legens

de significato speciali significaret

substantiam, hic esset nugatio *homo est*

legens. Sed non oportet quod sit nugatio,

si *legens* significaret substantiam de modo

essentiali generali, quia verius esset ibi nugatio,

homo albus, cum *albus* veriori modo

significaret substantiam quam *legens*.

< Ad 1-1-3 > Ad ultimum dicendum, quod

modi oppositi non sunt compossibles in

eodem. Hoc verum est. Sed modus significandi

in participio, qui est significare

substantiam, non est oppositus

modo fluentis, quia in participio non est

modus permanentis nominalis, qui recte

opponitur modo fluentis verbi, sed est

modus inclinabilis sine distantia, idest aptitudo

faciendi < unum > extremum cum

alio habente modo permanentis. Est modus

significandi essentialis generalis participii

significare per modum fluentis - et

hoc habet a verbo -, inclinabilis ad aliud

sine distantia, idest non maxima inclinabilitate,

sicut facit verbum, sed sub tali modo

quod cum alio possit facere extremum -

hoc habet a nomine. Et ita significat per

modum fluentis inclinabilis sine distantia.

< 2-UTRUM PARTICIPIUM POSSIT SUPPONERE >

Ad evidentiam huius queritur, utrum participium [Page 150a]

possit supponere. Et arguitur

quod sic per auctores primo, postea per

rationes.

< 2-1-Quod sic >

< 2-1-1 > Per auctoritates. Priscianus, in principio secundo Minoris, dicit enim *tractantes [omnes]*. Et ita participium potest supponere. Ita dicit de suis exemplis frequentius accuso *legentem*. Ergo per conversionem active in passivam *legens accusatur a me*.

< 2-1-2 > Item, magis arguitur de intentione Prisciani non cassum humane lugunt.

Ipse enim vult probare quod cassum

sit participium. Et probat quod sic,
cassum, a, um habet naturam terminandi
a parte post, sed quia potest terminare a
parte post, potest etiam terminare a parte
ante sive [[app]] supponere. Quare videtur
esse de intentione Prisciani, quod participium
habeat naturam supponere.

< 2-1-3 > Item, per Aristotelis auctoritatem
in Elenchis, ut *incipientes a primis, laborans*
sanabatur. Et ita videtur, quod participium
supponat.

< 2-1-4 > Item, per rationem potest argui
sic. Sicut se habet adiectivum ad adiacendum,
ita se habet substantivum ad supponendum.
Ergo permutata proportione, sicut
se < habet > adiectivum ad supponendum,
ita se habet substantivum ad apponendum.
Sed substantivum congrue potest
[[sup]] \ap/poni, ut *homo est animal*.
Ergo adiectivum poterit supponere. Et [Page 150b]

est participium adiectivum. Quare videtur
quod participium possit supponere.

< 2-1-5 > Item, substantia infinita specificata
actu speciali potest supponere, ut *qui*
currit disputat. Sed substantiam infinitam
determinatam per actum speciale significat
ipsum participium, ut *legens, qui legit*.
Ergo participium potest supponere.

< 2-2-Quod non >

< 2-2-1 > In oppositum solet argui sic. Nullum
adiectivum adjective retentum potest
supponere. Hec est vera: in subiecto implicatur
causa predicati. Sed omne participium
est adiectivum adjective retentum;
hoc declaratur ex hoc, quod omne participium,
aut declinatur per tres diversas
terminationes, aut per tria pronomi articularia,
etsi aliquando non exprimatur.

Ergo nullum participium supponit.

< 2-2-2 > Item, omne participium potest
apponere et sine incongruitate. Ergo nullum
potest supponere. Probatio huius
consequentie: Omne illud quod potest
apponere, habet modum adiacentis de
modo significandi essentiali speciali. Sed
quod habet modum adiacentis de modo
essentiali significandi speciali, non habet
modum per se stantis de modum significandi
essentiali speciali, quia nihil unum
et idem potest esse sub oppositis speciebus.
Et illud quod non habet < modum
per se stantis > de modo essentiali speciali
non potest supponere. Ergo a posteriori, [Page 151a]

quod potest supponere non potest
apponere. Et ita, si omne participium
apponit, nullum participium supponit.

< 2-2-3 > Item, si participium
supponeret, aut hoc esset per naturam
modi fluentis, aut per naturam modi inclinabilis
ad aliud sine distantia - plura
enim non habet in suo modo significandi
essentiali generali. Sed per naturam modi
fluentis non supponit, hoc nullum dubium
est, quia iam verbum supponeret, et
isti modi sunt oppositi, scilicet modus
fluentis et modus permanentis. Item, nec
per naturam modi inclinabilis ad aliud
sine distantia, quia omne nomen adiectivum
nominis veriori modo habet inclinationem
sine distantia quam habeat participium,
non tamen propter hoc supponit
adiectivum nomen, ut albus. Ergo nec

participium potest supponere.

< Solutio >

< Solutio quorundam >

<i> Solutio. Quidam <dicunt> quod participium potest supponere gratia substantie intellecte, ut *legens*, *qui legens est*, vel *qui legit*.

< Contra > Sed ista causa non valet, quia in hoc quod est *legens* dat intelligere substantiam, ita *albus*, vel adiectivum, ut *albus*, qui est *albus*. Et ideo si non valeat ista[Page 151b]

causa in omni adiectivo, non valebit in participio.

< ii > Ideo placet aliis quibusdam dicere, quod participium [non] supponat gratia substantie quam habet de modo significandi essentiali generali.

< Contra > Sed ista substantia non sufficit quod participium supponat, quia talem substantiam veriori modo < habet > *albus* quam aliquod participium.

< Solutio propria >

Et propter hoc dicendum, quod participium non potest supponere. Et solum ponatur pro causa, quare est adiectivum et non substantivum, quia nullus modus significandi essentialis specialis, nec accidentalis, potest esse in aliqua parte, si repugnet modo essentiali generali. Propter hoc enim, quod modus fluentis in aliud

repugnat modo significandi essentiali generali nominis, qui est modus permanentis, ideo talis modus non est in nomine, et ab hoc nullum nomen potest construi cum accusativo sine figura.

Similiter, si in participio esset alius modus significandi essentialis specialis, qui esset modus per se stantis, iste modus repugnaret modo significandi essentiali generali participii. Ideo nullum participium potest habere de modo significandi essentiali [[generali]] speciali per se stantiam, vel[Page 152b]

sit participium, eo quod potest terminare actum, dicendum quod non fuit de intentione Prisciani quod participium terminaret, sed hoc dicendum quod loquebatur secundum usum communiter loquentium.

< Ad 2-1-4 > Ad rationem dicendum est, quod forte substantivum non potest apponere. Unde forte hac est incongrua *homo est animal*.

Sed dicendum est aliter, quod < in hac > *homo est animal* < *animal* > per se non [[su]] \ad/ponit, sed fit unum extremum cum verbo substantivo. Et similiter dicam, quod adiectivum cum alio potest supponere, sed non per se.

< Ad 2-1-5 > Ad illud dicendum, quod substantia infinita cum actu speciali bene potest supponere, si substantia infinita per se exprimitur, ut *qui currit disputat* Sed tamen substantia infinita intellecta cum actu speciali non supponit. Et ideo participium non supponit, licet in eo non intelligatur substantia infinita[Page 153a1]

cum actu, que non potest supponere nisi exprimatur.

< Gloses >

(?) <marge inférieure, f. 98v, avec un signe en marge du texte, appelant le signe écrit en face de la glose, S2> Nota quod significare duobus modis summitur, uno modo summitur pro imponere, si< c > nomen significat substantiam cum qualitate[Page 153b1]

prout sibi imposita est. Secundo modo summitur pro intelligere, sic est in participio.
In substantia implicatur causa predicati,
ut dico oculo statim intelligitur visus.

In medio ...

(?) < marge droite, f. 98v, S1 > Talia sunt predicata qualia permiserunt subiecta.
(?) < marge droite, f. 98v, S1 > Supponit enim sicut nomen a parte ante, sicut verbum et regit accusativum, cum dicitur *legens librum* (?) . . . [Page 153a2]

< CAP. 5: DE PRONOMINE >

< UTRUM PRONOMEN SIGNIFICET SUBSTANTIAM MERAM >

Consequenter queritur de modo essentiali generali pronominis, utrum pronomen significet substantiam meram vel significat substantiam cum qualitate.

< 1-Quod non >
< 1-1 > Et ostenditur quod non significet substantiam meram. Quod non significat substantiam, probatio. Solum est substantia triplex. Quedam est materia, quedam forma, quedam aggregatum, sive compositum. Quod non significet substantiam que est forma, probatio, quia iam non posset significare substantiam que est materia, quod tamen falsum est, quia id idem significat[Page 153b2]

pronomen quod refert et demonstrat. Sed ego scio quod potest referre materiam solum, ut dicendum sic, *materia* est principium naturae et ipsa ... privationes *significat*. Ergo materiam aliquando < significat >. Non ergo significabit formam, quia si significaret formam, non posset significare materiam. Item eodem modo arguitur quod non significet materiam, quia si significaret materiam, iam nullum pronomen posset significare formam, quod tamen falsum est, quia pronomen bene potest referre formam, ut *albedo est qualitas et ipsa est disaggregativa visus*. Et potest ergo significare formam. Item eodem modo arguitur, quod non significet aggregatum, quia iam non posset significare simplicem et meram < substantiam >,[Page 154a]

quod falsum est. Et potest referre, dicendo sic, *Deus creavit omnia et ipse est finis omnium*. Ergo et potest significare substantiam simplicem.

Et ita pronomen non significat aggregatum, nec formam, nec materiam. Ergo non significabit substantiam, quare nec significabit substantiam meram.

< 1-2 > Ad idem, significatum partis debet esse intelligibile, cuius causa est, quia omnis modus significandi qui est in dictione prius fuit modus intelligendi in anima. Sed substantia mera non est intelli< gi >bilis,

quia substantia mera est idem quod materia, materia autem non est intelligibilis sine forma. Unde Plato posuit eam medium inter ens et non ens. Ergo substantia mera non potest esse significatum generale partis. Et ita pronomen non poterit significare de modo significandi essentiali generali substantiam meram sine qualitate.

< 1-3 > Item, pars non distinguitur contra totum, licet totum habeat bene distingui contra partem. Sed substantia mera < est > significatum nominis vel <pars> modi significandi essentialis generalis - ubique accipitur hoc pro eodem. Ergo si pronomen substantiam meram significaret nam non debet < dici > distinctum a nomine,[Page 154b]

quod falsum est. Ergo pronomen addit aliquid supra substantiam meram.
< 1-4 > Item, omnis modus essentialis generalis est qualitas informans suum subiectum. Sed omnis pars orationis habet modum significandi essentialem generalem, et per illum est pars. Ergo omnis pars significat qualitatem de modo essentiali generali. Et ita pronomen significat substantiam meram et qualitatem.

< 2-Quod sic >
< 2-1 > In oppositum arguitur per auctores artis gramatice. Dicit enim Donatus, quod pronomen ponitur pro nomine et tantundem pene significat.c Sed non significet tantundem pene si significaret qualitatem, sed equaliter tantundem. Ergo non videtur significare substantiam cum qualitate, sed substantiam solum.

< Solutio >
Solutio. Dicendum ad questionem, quod duplice potest queri, quando queritur utrum pronomen significet substantiam solam, vel substantiam cum qualitate: aut querit< ur > de significato speciali, aut de modo significandi essentiali generali. Si primo modo queratur, dicendum est < quod > pronomen, de virtute sermonis, nullum significatum speciale habet, sed[Page 155a]

ad omne significatum speciale pertinet. Unde a sua impositione habet aptitudinem ut possit representare omnem rem veram vel existentem in anima, significatam per vocabulum quod refert vel demonstrat ipsum pronomen. Et hoc est idem dicere, quod pronomen idem significat, quod refert vel demonstrat. Si secundo modo queratur questio, scilicet quid pronomen significet de modo significandi essentiali generali, dicendum quod, quia pronomen inventum est ut habeat modum illius de quo aliud enuntiatur, ideo significat substantiam et per modum permanentis. Et quia pronomen ponitur pro omni nomine de suo significato speciali, tam pro nomine communi quam proprio, ideo impositor videns istam generalitatem significati istius specialis, imposuit sibi talem modum significandi conformem sibi, idest modum indeterminatum non specificatum aliqua qualitate propria vel communi, quia quodlibet pronomen potest pro omni nomine accipi. Sed si pronomen

aliquam haberet qualitatem propriam,
iam non posset accipi nisi pro propriis
nominibus. Similiter < si > pronomen . . .
haberet communem qualitatem, solum
pro nomine communi poneretur. Propter
hoc iste modus permanentis, qui est in
pronomine, non est determinatus aliqua[Page 155b]

< qualitate >, sicut propria vel communis.
Significat ergo pronomen de significato
essentiali generali substantiam meram
sine qualitate in modo substantie qui non
est determinatus aliquo modo qualitatis.
< Responsio ad argumenta >
< Ad 1-1 > Ad argumenta in oppositum,
dictum est quod primum argumentum
procedit de significato speciali. Et verum
est, quod pronomen nullum habet certum
significatum speciale, quia nec semper significat
materiam, nec semper formam,
nec semper aggregatum, sicut obiciebatur.
Si intelligatur de modo significandi
essentiali generali, tunc minus sufficienter
inducitur in substantiam que est ultima
substantia[m], que est materia et forma et
aggregatum. Alia substantia ... est modus
permanentis in grammatica, quam significabit
ipsum pronomen de modo essentiali
generali.
< Ad 1-2 > Ad secundum dicendum, quod
minor est falsa si intelligatur de substantia
que est modus permanentis, quia licet
substantia que < est > materia sine forma
nec sic intelligitur, tamen substantia que
est modus permanentis non determinatus
aliqua qualitate propria vel communis
bene est intelligibilis. Et non valebit probatio
minoris, quia iste modus substantie
mere non est materia de qua dicit Plato
quod est medium inter ens et non ens.[Page 156a1]

< Ad 1-3 > Ad tertium dicendum, quod
pars potest considerari duplice, aut inquantum
est pars et in ratione partis, aut
prout est separata a toto, nec se habet
plus in positione partis, sed est quid distinctum
in se. Primo modo pars non habet
facere diversum (?) a toto, hoc < modo >
non est substantia que est in pronomine,
nec est pars modi significandi essentialis
generalis, nec habet ad ipsum respectum
partis. Sed secundo modo, scilicet considerando
partem in se et extra suum totum,
hoc modo pars bene dividitur contra
totum.
< Ad 1-4 > Ad quartum dicendum, quod
duplex est qualitas. Uno modo dicitur
esse qualitas omne illud quod informat et
determinat aliquid subiectum, alio modo[Page 156b1]

dicitur qualitas sicut in grammatica significare
proprie vel communiter. De qualitate
primo modo non fit sermo in grammatica,
et verum est quod hoc modo omnis
pars habet qualitatem in suo modo significandi
essentiali generali, qui6 modus significandi
essentialis generalis est ipsa
qualitas informans partem esse partem.
Et de < de >nominatis [se] a tali qualitate
non queritur, quando queritur utrum
pronomen significet substantiam cum
qualitate, immo queritur de illa qualitate
que est modus significandi proprie vel
communiter. Et dictum est quod non,
quia visum est quod <*** . Et sic ad > argumenta.

Ista sufficient de modis significandi
essentialibus generalibus partium
declinabilium.[Page 156a2]

Queritur hic postea de gerundivis
et supinis. Et de istis queruntur duo.
Primum est sub quo modo significandi
essentiali generali debeat < cadere >,
utrum scilicet sint nomina vel verba. Secundo
est de constructione ipsorum cum
verbo substantivo, *legendum est musas*,
utrum ista constructio gerundivi cum
verbo substantivo sit possibilis.[Page 156b2]

< 1-UTRUM GERUNDIA SUNT NOMINA VEL
VERBA >

< 1-1-Quod sunt nomina >
< 1-1-1 > De primo videtur, quod gerundia
dicunt< ur > esse nomina - supponatur
quod sint nomina vel verba.
Quod non sunt verba probatio. Ver< b >um
est, ut vult Priscianus in Maiori,[Page 157a]

pars orationis cum modis et formis et
temporibus, agendi vel patiendi significativum
e[s]t sine casu. Sed gerundivum
non est huiusmodi per Priscianum,
[verbum... est sine casu] quia dicit
quod gerundia non habent modos et tempora,
sed habent casum. Verbum autem
est sine casu. Ergo gerundia non sunt
verba sed nomina.

< 1-1-2 > Item, illud quod habet propriam
dispositionem substantie < substantiam >
significat. Hec maior est vera, quia proprium
non discernit illud cuius est proprium.
Sed gerundivum habet propriam

dispositionem substantie, scilicet casum.
Ergo gerundivum substantiam significat.

< Quod substantiam significat > non est
verbum, nec gerundia erunt verba.

< 1-1-3 > Item, impossibile est duo contraria
simul in eodem esse. Sed modus et casus

contraria sunt. Ergo ubi unum ibi non

relicuum. Sed casus est in gerundivo.

Ergo non modus. Sed quod non habet

modus, illud non est verbum, quia verbum

est pars orationis cum modis et cetera.

Et ita gerundia non sunt verba, in

ista ratione solum, quod modus et casus

sunt opposita. Et illud probatur sic, quia

modus <dicit habitudinem actus ad substantiam,

casus vero dicit habitudinem[Page 157b]

substantie ad actum, et iste habitudines
opposite sunt. Ergo modus et casus opposita
sunt. Quare videtur quod gerundiva
sint nomina et non verba.

< 1-2-Quod sunt verba >

< 1-2-1 > In oppositum arguitur tamen sic.
Omne nomen aut est adiectivum aut est
substantivum. Sed gerundiva non sunt
adiectiva nomina, nec substantiva. Ergo
non sunt nomina. Quod non sunt adiectiva
hoc patet, quia adiectiva per se non
possunt poni sine substantivo. Gerundivum
autem nullum aliud nomen exigit
sed per se ponitur, ut *vado ad legendum*
musas vel *vado lectum*. Eadem sunt gerundia
et supina. Ergo non sunt nomina
adiectiva. Iterum, non sunt substantiva,
quia nullum substantivum < est >, quin
possit determinari aliquo adiectivo. Hoc

apparet discurrendo per omnia substantiva.

Sed nullum gerundivum seu suppinum

potest secum pati aliquod adiectivum.

Non enim bene diceretur *vado a legendum*

album musas, ita quod *li album*

esset adiectivum intransitive determinans

ipsum gerundivum. Ergo non sunt nomina

ista gerundia.

< 1-2-1 > Item, nullum nomen potest construi

cum accusativo a parte post sine figura.[Page 158a]

Sed gerundia bene construuntur

cum accusativo, ut *vado lectum,... in legendō*

Virgilium proficitur. Ergo ista gerundia

non sunt nomina.

< 2-UTRUM ISTA CONSTRUCTIO VERBI SUBSTANTIVI

CUM GERUNDIVO, *legendum est*

musas, SIT POSSIBILIS >

Secundo queritur de ista constructione

verbi substantivi cum gerundivo, *legendum*

est musas.

< 2-1-Quod non >

Et videtur quod non sit possibilis, hoc est

quia gerundivum non potest construiri

cum verbo substantivo, sic. Si construatur

gerundivum cum verbo substantivo, aut

hoc esset a parte ante, aut a parte post.

Sed non a parte ante nec a parte post cum

ipso construiri. Ergo etc. Quod a parte

ante non possit construiri probatur sic,

quia si construeret a parte ante, oportet

quod hoc esset in ratione suppositi. Sed

quod gerundivum non posset supponere,

hoc apparel, quia verbum est, ut apparebit

in solutione primi problematis.

Item, non potest supponere hoc quod

dico *legendum*, quia accusativi casus est.

Et est probatio consequentie, quod accusativis

et nominativis, quibus concessa est[Page 158b]

ratio suppositi, diversas habent et distinctas
habituidines casuales.

Item, si gerundivum non potest supponere,
videtur quod non possit construiri

cum verbo substantivo a parte ante.

Item, nec a parte post, quia nullum verbum
absolutum potest construiri cum accusativo

a parte post, nisi mediante prepositione.

Et enim si male dicatur *vado ecclesiam*,

bene tamen dicitur, mediante

prepositione, *vado ad ecclesiam*. Sed verbum
substantivum *sum, es, est, verbum*

absolutum < est >, hoc de se patet. Ergo

non poterit construiri cum gerundio, cum

sit accusativus a parte post,

nisi mediante prepositione. Sed istam

constructionem *est legendum musas* nemo

reciperet. Ergo videtur quod constructio

gerundi cum verbo substantivo a parte

post non sit possibilis, nec a parte ante, ut

prius visum est. Ergo etc.

< 2-2-Quod sic >

< 2-2-1 > In oppositum arguitur, quod

omne illud quod significat exitum ab otio

in actum, vel per modum exitus ab otio

in actum, potest construiri cum illo, quod

significat actum. Sed verbum substantivum

significat per modum exitus ab otio

in actum, gerundivum autem significat

actum in ratione termini. Ergo verbum[Page 159a]

substantivum potest construi cum gerundio
a parte post.

< 2-2-2 > Item, omne illud quod significat
per modum indeterminati potest construi
cum illo quod significat per modum determinati.

Sed gerundivum significat per
modum determinati, quia significat actum
speciale. Verbum autem substantivum
significat per modum indeterminati. Ergo
gerundivum potest construi a parte post
cum verbo substantivo in ratione illius
specificantis.

< Solutio ad 1 >

Solutio. Ad primum. Quando queritur,
utrum gerundia sint nomina vel verba, rationes
sunt inde contrarie, quia secundum
Priscianum nomina sunt, secundum autem
Donatum sunt verba. Quidam autem [Page 159b]

dicunt quod sint nomina, sed quidam
verba autem simpliciter.

< Solutio quorundam >

< i > Quidam, dico, volunt quod gerundia

sint nomina per istam causam. Dicunt
enim quod gerundivum significat infinitivum
cum articulo, ita quod infinitivus
specificatur per ipsum articulum. Unde
< in > infinitivo sunt duo, fieri scilicet et ipsum
agere. Et actio est illud quod habet
infinitivus de modo essentiali generali
verbi, < et > ipsa actio est < in > infinitivo ipsum
significatum speciale. Dicit ergo,
quod articulus casualis adveniens infinitivo
transmutat ipsum agere in qualitatem
nominalis, et ipsam actionem transmutat
in substantiam, ita quod gerundivum,
confectum, ex infinitivo et articulo, significet [Page 160a]

substantiam cum qualitate, ita quod
sit nomen, eo quod habet modum significandi
essentiale generale nominis. Et
dicunt, quod articulus adveniens infinitivo
removet ab eo constructionem quam
habet cum nomine a parte ante, sed constructionem
eius a parte post non tollit.

Et ideo ad hoc retinet ipsum gerundivum
< illam constructionem > scilicet a parte
post, < et > illam constructionem, quam a
parte < ante habet > ipsum verbum, non
habet gerundivum, quia tollitur per articulum.

< Contra > Sed ista positio in multis peccat.
Dicit enim ista positio quod actio
verbi infiniti transmutatur in substantiam
nominalis et est falsum. Non enim debet
nomen significare substantiam, si significet
eam de significato speciali, sed
quod eam significet de modo essentiali
generalis. Et supponit quod fieri ipsius infinitivi
transmutetur in qualitatem nominis,
et supponit quod gerundivum habeat
constructionem cum substantia a parte
post, causatur ab ipso fieri. Quod ergo
non habet modum fieri non habebit ipsam
constructionem. Igitur si gerundivum
non retinet fieri ipsius infinitivi, sed [Page 160b]

mutatur in qualitatem nominis, manifestum
est quod nomen poterit habere illam
constructionem que fit cum casuali a
parte post. Item supponit, quod articulus
adveniens infinitivo mutet eius modum significandi

verbalem in modum nominalem.
Quod falsum est, quia nullum accidentale
transmutat essentiam. Sed adventus
articuli est accidentalis infinitivo,
et transmutatio modi significandi verbalis
est in modo significandi nominis, et
est transmutatio essentialis. Ergo adventus
articuli non potest facere istam transmutationem.
Item, si articulus transmutaret infinitivum,
magis transmu< taret > ipsum in naturam
articuli, quam ad naturam alterius
< idest > nominis. Rationale enim est quod
illud quod transmutat aliud trahat ipsum
ad naturam sui, magis quam ad naturam
alterius, sicut calidum agens in materiam
magis trahit eam ad naturam calidi quam
ad naturam frigidi.
[Item.] Unde falsum assumit dicendo,
quod gerundia sunt nomina et non verba.
Et bene concedunt, quod gerundivum
construatur a parte post. Ex hoc arguitur:
quando aliquid dividitur per duas differentias
essentiales, illud quod essentialiter [Page 161a]

est sub una, impossibile est
<esse> sub aliud. Sed pars orationis principalis
declinabilis est quoddam totum,
quod dividitur per estas duas differentias,
que sunt significare per modum fieri et
< significare per modum dependentis.
Quod significat per modum fieri et > dependentis,
impossibile est participare modum
habitus et quietis. Sed gerundivum
habet modum fieri et dependentis, quod
probatur ex concesso illorum, quia construitur
cum casuali a parte post et cum
accusativo sine figura. Et ita impossibile
est gerundia esse nomina.

< Solutio propria >
Et ideo dicendum quod indubitanter gerundia
verba sunt. P Sed ad hoc intelligendum,
quod grammaticus suos modos significandi
probare non potest [[nec]] sicut
et geometri sua principia. Non ergo possumus [Page 161b]

probare gerundia esse verba per
rationem a priori, nisi per effectum, sicut
per constructionem, que est effectus
modi significandi. Videmus autem quod
gerundium habet illam constructionem
quam habet verbum, unde verbum est.
Ergo gerundivum videtur participare modum
significandi verbi, unde verbum est.
Quod autem gerundivum participet constructionem
verbi, unde verbum est, appareat,
quod non solum participet constructionem
verbi quam habet a parte
post, que communis est verbo et participio,
sed etiam illam quam habet verbum a
parte ante, et quam habet in ratione qua
verbum, et per suum modum significandi
essentialem generalem. Et quod hoc sit
verum appareat per P.H. qui dicit, quod
bene dicitur *vado me lectum, venio me lectum*
construendo li *me* a parte ante cum
gerundio intransitive et in ratione suppositi. [Page 162a]

Cum ergo gerundivum participet
constructionem verbi, quam habet verbum
per suum modum significandi essentialem
generalem, vel per alia consequentia
modum significandi essentialem generalem
(et dico hoc propter numerum et
personam) videtur per effectum, quod gerundivum

participet illum modum significandi
essentialiem generalem verbi.
Manifestum est igitur quod sunt verba,
nec differunt ab infinitivo, nisi accidentaliter.
Sed ipsa sunt infinitivi modi, nisi
quod addunt supra infinitivum rationem
termini et habent tempora, secundum
quod vult P.H. quod sunt omnia futuri
temporis. Possunt etiam habere casum
non repugnante modo significandi essentiali
generalii verbi quam habet, quia obliquus
non repugnat verbo, licet nominativus
repugnet ipsis verbo.

< Responsio ad argumenta >

< Ad 1-2-1 et 1-2-2 > Ad argumenta in oppositum
respondendum est, et concedantur
illa que probant quod sunt verba.
< Ad 1-1-1 > Et quod arguitur in oppositum,
Priscianus qui dicit quod gerundia
non habent modos et tempora, dicendum
quod Priscianus, quia posuerat gerundia
esse nomina, ideo fuit opus ut poneret in [Page 162b]

convenientia multa, scilicet quod non haberent
modos et tempora.

Dicendum ergo per interemptionem,
quod gerundia habent modos et tempora,
sicut verba, et sunt infinitivi modi et futuri
temporis.

< Ad 1-1-2 > Ad secundum dicendum,
quod casus non est dispositio substantie
in comparatione ad actum, idest partis significantis
substantiam, sed est dispositio
casualis in comparatione ad actum, quodcumque
sit illud casuale, sive significans
substantiam, sive significans actum. Itaque
ex hoc apparet, quod gerundium non
habet propriam dispositionem casualem.
< Ad 1-1-3 > Ad tertium dicendum, quod
licet modus et casus rectus sint opposita,
tamen modus et obliquus casus non sunt
opposita, et maxime casus obliquus et infinitivus
modus. Ideo possunt se compati
[[sicut]] in eodem, sicut in genere.

< Solutio ad 2 >

< Solutio quorundam >
< i > Ad secundam questionem dicunt quidam,
quod gerundium construitur cum
verbo substantivo a parte ante et in ratione
suppositi. Et dicunt, quod gerundivum
habet casum nominativum eo quod
habet aliquos obliquos. [Page 163a]

< contra > Sed hoc nichil est. Volunt enim
omnes auctores quod gerundium significet
actum, et hoc ratione termini actus. Et
istud repugnat casu recto.

< ii > Alii dicunt, quod gerundium a parte
post construitur cum verbo substantivo,
ut verbo substantivo supponit hoc quod
dico *dignum* intellectum, ut *dignum est legendum*
musas, ita quod volunt verbum
substantivum non posse impersonari.
Et secundum hoc, quod est impossibile
quod aliquod casuale construatur cum
alio gratia intellecti, quod tamen per se
non poterat construi (quia iam bene diceretur
vir alba currit vel vir est alba), cum [Page 163b]

in hoc quod dico vir intelligitur substantia),
supponitur ergo quod hoc verbum
est non possit impersonari, cuius contrarium

probatur, quia ponitur in expositione
[cum] verbi impersonalis, vel in
suppletione eius, ut *lectum est*, vel *lectum
fuit* etc. Ideo male ponebant.

< Solutio propria >
Et propter hoc dicendum aliter ad questionem,
quod verbum substantivum
cum gerundivo bene construitur. Ponitur
gerundivum a parte post est *legendum
musas*. Sed verbum substantivum est impersonale
causa constructionis a parte [Page 164a]

verbi substantivi. Significat per modum
indeterminati, et maxime hoc, que sit volentis
specificari per aliquod sequens,
quod se habeat in ratione specificantis in
quocumque modo, et in quocumque
casus < uale >, sive in nominativo, ut est dies,
sive in genitivo, ut est *moris Eustachii*,
sive in quocumque obliquo. Nunc autem
a parte gerundii hoc est quod ipsum gerundivum
gratia actus... quod importat,
et etiam in quod se habet in ratione terminantis,
non potest se habere in ratione
specificantis. Et ita apparet proportio inter
verbum substantivum et gerundivum a
parte post.

< Responsio ad argumenta >
< Ad 2-2-1 et 2-2-2 > Concedantur argumenta
pro parte nostra.
< Ad 2-1 > Ad illud quod fit in oppositum, [Page 164b]

dicendum quod nullum verbum absolutum
construitur cum accusativo a parte
post, sine prepositione, verum est < si > ille
accusativus teneatur in ratione accusativi,
hoc est in ratione terminantis transitum.
Tamen si ille accusativus habet aliud modum
significandi proportionabilem verbo
absoluto, mediante illo poterit construi
cum verbo absoluto sine prepositione, sicut
est in proposito EST LEGENDUM MUSAS.
Ibi non tenetur iste accusativus LEGENDUM
[nec] in ratione terminantis, sed
in ratione determinantis et specificantis in
determinationem verbi substantivi.
Domne Nicolaus.
Explicit questiones Magistri Mathei
Bononiensis super modos significandi et
super grammaticam, reportate per manus
Jo < hannis > . . . Sunt determinate omnes
per Magistrum Matheum.

[Home](#)

Matheus Bononinesis. Date: 27/11/2012